Biblioteka
Ojców Kamedułów
w Bieniszewie

ECHO
Abſurditatum
VLRICI DE NEVFELD
BLESA
Demonſtrante
VALERIANO MAGNO.
Mediolanenſi
CAPVCCINO.

em Camaldul
pe Varsaviam

CRACOVIÆ.
Apud LVCAM KVPISZ,
A. DNI. M. DC. XLVI.

DEDICATORIA

AD

GLORIOSISSIMAM MARIAM VIRGINEM. *DEI* GENITRICEM.

TE MARIAM Virginem, Domini noſtri IESV Chriſti Matrem, delegi meorum ſtudiorũ Patronam. Tibi omnes meas lucubrationes deuoui, & propterea hanc meam. *Echo abſurditatum* VLRICI Tibi dono, dico, & cõſecro. Tu Virgo pijſſima intercede apud Filium, vt hoc ipſum, quod ſum, & poſſum, diſponatur iuxta eiuſdem Filij tui Domini noſtri beneplacitum. A.

ILLVSTRISSIMO D.

D. IOANNI NICOLAO, DANILOWICZ,

Supremo in Regno Poloniæ.

THESAVRARIO Premisl: Samb Droh: Ratin: &c. &c.

CAPITANEO.

ITA hodie mos viget, Illustr: Domine, vt qui aliquid gratiæ sibi conciliare apud seram posteritatem student, monumenta doctißimorum virorum conseruando: ij plerumq;

se cum

ſe cum ſuo labore tutelæ, ac patrocinio Magnatum præſidij gratiâ committant. Horum & ego veſtigijs inſiſtens, libellum inſignis pietate ac eruditione Viri in lucem editurus, non immeritò ad Tui patrocinij aſylum confugi. Pellexit me ſingularis Tuæ humanitatis aura, qua ita omnes deuincis, vt nemo ſit literis vel mediocriter imbutus, qui Te curioſus non ambiat, ambitioſus non adeat, nec à Tuo congreßu cum diuite affluenteq́ redundantia recedat. Nihil, in ſuprema Tua Theſaurarij Regni Poloniarum muneris fortuna, ducis maius, quàm poße, & velle prodeße plurimis, ac lõge, lateq́ pomæria benignitatis, ac beneſicentiæ propa-

gare. Pertraxit etiam Illuſtr: Tui ſideris ſplendor: quo lucente, ſpero, vt Echo Abſurditatum Vlrici de Neufeld, ad doctrinam Religioſi Patris Valeriani repercuſſa, ſit felicius elapſura. Velis ergo Illuſtr: Domine, hâc lucidiſsima Tuâ lunâ, meo labori, aduerſus inuidorũ obtrectationes, eſſe patrocinio. Velis mihi, aduerſus vitæ humanæ calamitates, Tuæ lunæ beneficiẽtiſsimæ radijs adeſſe ſubſidio, animum gratitudinis in Te Illuſtriſſime Domine teſtem, & cum eo, quorumcunq; poteſt eſſe capax vota, dedicanti. Fruere interim diutiſsime proſperrimo temporis ſucceſſu, fruere deſideratis vitæ commodis, fruere fortunato votorum

omnium euentu. Diu cælo, diu Patriæ, diu nobis viue. Te Illustrissima Familia Tua diu charissimum suum intueatur decus, complectatur amorem.

Illustrissimo suo Mæcenati

æternum deuotus Cliens

& seruus humillimus

DD. Cq.

Lucas Kupiß,

Typographus Crac.

APPROBATIO.

NOs Frater Simplicianus à Mediolano Ord: Frat: Min: S. Franciſci Capuccinorum in Curia Rom: Procurator & Com: Generalis. Tractatum R. Patris Valeriani Magni à Mediolanoſtri Ordinis Theologi, & Apoſtolici Miſſionarij ſub hoc titulo *ECHO abſurditatum Vlrici de Neufeld* à Theologis noſtri Ordinis relectum, & approbatum, facultate nobis ab Adm. R. Patre Innocentio à Calatayerone dicti noſtri Ordinis Miniſtro Generali deſuper facta, typis mandari poſſe, ſeruatis alijs de more ſeruandis, tenore præſentium, licentiam concedimus. In quorum fidem, præſentes manu propria ſubſcriptas, ſigilloq; noſtri Officij munitas dedimus. Romæ in Conuentu noſtro Immaculatæ Conceptionis B. V. M. Die 23. Septembris 1645.

EGo Chriſtophorus Sapelius S. Th. Doctor Canon. Cracou. & per Diœceſim librorum Cenſor Primarius, legi libros duos à R. P. Valeriano Magno Ordinis S. Franciſci Capuccinorum, quibus veritatem Catholicam à prauitate Hæreticorum ſtrenuè defendit, & ſe partim à calumnijs Vlrici de Neufeld exacte vendicat, conſcriptos; In quibus, quia nihil ſanæ doctrinæ repugnans: imò multa in fidei Catholicæ propugnationem, vtiliter, & hæreticæ impudentiæ confuſionem, eruditè conſcripta inueni, typis publicandos cenſui.

VALERIANVS VLRJCO *Spiritum Veritatis.*

PERSONATVS vagaris per Orbem, sub ficto nomine VLRICI DE NEVFELD, tu, qui iudicas de meo Iudicio super Acatholicorum, & Catholicorum credendi Regula; conarisq; Echo Theologica repercutere in nos Catholicos absurditates, à me illatas in Sectas Biblistarum. Sic sentiunt, qui & Stylum, & Typum, & nomen assumptum expendunt. Stylum tribuunt personæ, quæ sub alio nomine innotescit inter suos. Typus satis ineptè mentitur formas Amsterodamæas. Nomen assumptum ignotum est; & tamen eruditio nostri VLRICI

vix posset eousq; latere. Cur verò libuerit occulere personam veram, non perquiro: fortassis ratio tui consilij, vltronea prodibit. Satis innotescis mihi ex tuo Tractatu, quomodocumque nuncupatus. Itaq;, cùm tu lateas, disputandum est mihi cum Echo tua. Echo est Persona ficta à Poëtis, quæ repetit voces allapsas, tacitis primis syllabis. Sunt hominum plerię;, qui nequeunt pronunciare litteram aliquam peculiarem: hi denominantur Blesi. Echo tua VLRICE, cùm reticeat aliquas syllabas, non tamen, vt aliæ, supprimit primas, sed eas dumtaxat, quæ suo VLRICO displicent. Blesa ergo est, at prudentissima, tuię; amantissima.

Meum Iudicium de vestrâ credendi Regulâ direxi ad Biblistas, adq; eos nominatim, qui nisi sunt illud confutare. Iudicium autem meum de Catholicorum credendi Regula destinaui ad studia vniuersalia Biblistarum. Totius verò Operis plura exemplaria vna cũ meis missiuis Epistolis, velut munera

ab

ab Auctore, transmisi ad Eruditos, ac Nobiles Viros ac Dominos IACOBVM MARTINI in Vniuersitate Wittebergensi Theologiæ Doctorem, & Primarium eiusdem facultatis Professorem.

IOHANNEM BOTSACCVM Sacræ Theologiæ Doctorem, & Gymnasij Gedanensis Rectorem.

CONRADVM BERGIVM Sacræ Theologiæ Doctorem, & Primarium Professorem, ad Sanctum Anscharium Ministrum, & Decanum.

IOHANNEM BERGIVM Serenissimo Brandemburgici Electori à Consilijs Ecclesiasticis, & Sacris Concionibus.

PETRVM STEGMANNVM fratrem Germanum illius Anonymi, cuius Opusculum confutaui.

Neque hac mea & humanitate, & prouocatione contentus, alia exemplaria dono dedi, ac transmisi ad Electorale Protosynedrium Ecclesiasticũ Diesdense.

Ad Magnificos Rectores Vniuersitatum seu Scholarum, quæ apud vos

funt Wratiſlauiæ, Ienæ, Wittebergæ, Ratiſponæ, & alibi. Nec tamen, poſt exactos penè annos quatuor, vllus ex prouocatis, & humaniſſimè requiſitis, prodijt, quem ego nouerim, qui ſuam de meo Iudicio publicaret ſententiam: ſi te vnum excipiam, laruatum tamen ſub ficto nomine.

Perlegi ergò, ac maturius conſideraui tuam de meo Iudicio ſententiam; & diu hæſi dubius, reſponderem ne tibi, an negligerem. Eſt modus in rebus. Non quæro, neq; ſpero ſic vos compeſcere argumentis, vt veſter calamus nullum deuoluat reſponſum. Fecero ſatis, ſi coniecero vos in eas anguſtias, vt veſtram ſententiam defendatis, conceſſis, aut vltro inductis ijs abſurdis, quæ nulla ratione excuſari poſſint. Vbi verò eò ventum ſit, ſuperſedendum cenſeo ab vlteriore diſputatione. Huius ergò Theologicæ moderationis ſtatuam exemplum in meo VLRICO DE NEVFELD cuius alioquin in ſcribendo modeſtiam laudo.

Con-

Congeſſi vniuerſum meum Tractatum in duo argumenta; quatenus, qui vellent, contradicere, id præſtarent methodicè. Primo complector id omne, quod dixi de Acatholicorum credendi regulâ. Altero complector meam ſententiam de Catholicorum credendi regula. Quapropter Tractatum iſtum duobus libris abſoluo. Poſteriore pugnabo contra te pro Catholicorum fidei regula. Priore autem perpendo eam tui Tractatus partem, quæ primum argumentum concernit. Neq; me retrahis à confutatione tuæ doctrinæ, quod non ſemel, ſed ſæpius profitearis, nolle te aut Catholicam, aut Bibliſticam doctrinam laudare, vel confutare; ſed duntaxat expendere titulum à me vſurpati triumphi in hac diſputatione: ſic enim inquis in Præfatione tua. *Non itaq; ego hîc Religionem aliquam oppugnatum, aut propugnatum eo: nec fundamenta Religionis oppugnandæ, aut propugnandæ eruo: ſed tantummodo tuum illud duplex de regula credendi Iudicium examino, an*

 trium-

triumphum illum mereatur, quem agit. Hoc ipſum alibi ſæpius repetis; nec tamen ſtetiſti promiſſis: nam veſtram credendi regulam defendis, noſtramq́; oppugnas, perinde ac ſi nil eorum promiſiſſes. Quapropter, ſic tuam confutationem examino, velut dixeris ſententiam, non reſeruaueris. Examino, inquam, ſed breuiuſculè, & tamen ſufficienter.

LIBER PRIMVS.

De Acatholicorum credendi Regulâ.

CAPVT I.

Exponitur Idæa Confutationis, quam Vlricus comminiſcitur.

EGo igitur reſponſurus tibi, conatus ſum aſſequi idæam tuæ confutationis eorum, quæ tradidi de veſtra fidei regulâ, quam non poſſum ſatis commode adumbrare, niſi ex tuo Tractatu hinc inde colligam, quæ referunt mentem tuam.

Ex corruptelâ morum in Eccleſia Catholica circa tempora Lutheri, à me vltrò conceſſa, tu infers, fidem, ſeu doctrinam quoq; fuiſſe corruptam.

Hinc videris deducere necessitatem priuati scrutinij ex Sacris Literis: sic enim inquis *Cap. 8. §. 5. Huius Ecclesiæ auctoritati, quæ nec se ipsam reformare vult, nec ab alijs reformari patitur, submittere se recusant, potius ad Tribunal Dei in Scriptura loquentis prouocant, isti, vobis dicti Biblistæ. Quid hic tam absurdum fluctuanti inter tot confusiones conscientiæ apud Deum securitatis quærere portum? Si enim errandum est, tutius Deo duce erratur (cùm se quis eius verbo regendum se tota mente tradit) quàm hominibus pro Idolo erectis.*

Cùm verò propius accedis quæstionem, quæ inter nos controuertitur, statum illius, à me formatum, inuertis. Quæstio, quam ego tracto, sic fuit à me proposita *Cap.* 1. mei Iudicij de Acatholicorum credendi Regula.

Vtrum Spiritus Sanctus infallibiliter secernat ex Sacro Codice veram à falsâ Doctrinâ Fidei per Ecclesiæ Pastores in œcumenico Concilio congregatos, an per singulos Christianos seorsum inuocantes, & consulentes ex Sacris Literis Spiritum Sanctum?

Statum huius quæstionis tu reprehendis

hendis, velut non satis logicè formatum: & Cap. 6. §. 10. ita emendas: *Illud, in quod se Fides nostra vltimò resoluit, quidnam sit? Alienumne Testimonium, puta Ecclesiæ congregatæ, sufficit? an ad Iudicium vsq; personale veniendum sit? vt Fidei suæ quisque domi Testem habeat, seipsum?*

Hanc quæstionem propagas in quatuor, ita vt quæstio à me proposita clarissimè, te correctore, fiat multiplex, & obscurissima.

Quoniam verò in meo Textu pono quinque Assertiones, velut eas, in quibus Biblistæ conueniunt cum Catholicis; negas, Catholicos admittere primam, & secundam, scilicet:

1. Verbum Dei scriptum est certum & infallibile.

2. Nullus hominum, ne Paulus quidem, neq; Angelus de Cœlo audiendus est, si proponat Doctrinam contra Verbum Dei scriptum, id est, contra Sacras Literas.

Tertiam verò, quartam, & quintam negas admitti à Biblistis: sunt autẽ hæ:

3. Nullus certò aſſequitur verum ſenſum Sacrarum Literarum, niſi interius illuſtratus, & edoctus à Spiritu Sancto.

4. Omnibus ac ſingulis in negotio Fidei indubitanter credendum eſt, ſi non diſcordent à Verbo Dei.

5. Nemo poteſt diſcordare à Verbo Dei, qui interius illuſtratur, & docetur à Spiritu Sancto.

Erunt haud dubium ex Bibliſtis plurimi, qui mirentur, te negare ad mentem illorum præfatas tres Propoſitiones. Verùm, ſi hi perpendant ſufficienter, quæ habes in textu, ſuſpicient tuum acumen: non tamen deerunt, qui exiſtiment, te affectaſſe multiplicare quæſtiones, quibus obrui ſolet veritas, ſatis alioquin conſpicua.

Porrò, nullam reperio contradictionem tuam contra quinque illas Propoſitiones à me *Cap. 2.* exaratas, ex quibus, tanquam ex conceſſis, intuli abſurda, vobis moleſtiſſima.

Verùm, non aggrederis ſolutionem meo-

meorum argumentorum, nisi prius
Cap. 8. ferreâ duritie mearum conse-
quentiarum emollitâ, vt tu inquis, i-
gne charitatis. Perpendo itaq;, quid
dicas toto illo capite;&,adhibito fide-
li studio, hoc duntaxat exprimo. Di-
stinguis regulam credendi, quam se-
quantur illi, qui è Paganismo vocantur
ad Ecclesiam Christi, ab illa Regula
Fidei, secundùm quam credunt, qui
sunt in Ecclesia. Hanc subdiuidis. A-
lia adhibebatur *in Ecclesiâ primæuâ, Conci-
lijsq; illis priscis, vbi, vt Apostolicis temporibus
propiora, sic & puriora erant omnia.* (Sunt
tua verba.) Aliam adhibendam cen-
ses hac ætate, *in qua Ecclesia moribus, & Do-
ctrina adeò est corrupta, vt remedia quoq; in ve-
nenum versa sint. Concilia nempe, variè sibi in-
uicem opposita, & sese mutuò condemnantia.*
Sunt quoq; tua verba.

Hac occasione me reprehendis,
quod dixerim, non extitisse, qui tem-
pore Lutheri morum reformationem
postularet; & longiore inductione o-
stendis, fuisse plurimos, qui eam ex-

petiuere, & petiere. Hiſce diſtinctionibus, & hac reprehenſione exiſtimas, te afflauiſſe ignem charitatis, quo emollires catenam mearum conſequentiarum, quam dicis ferream. Poſtmodum *Capite 9.* forcipe dearticulas catenam illam, reſpondendo ad ſingulas conſequentias. Poſſem, ſi vellem, vt feci in reſponſionibus ad Iohannem Maiorem, Iacobum Martini, Botſaccum, & Bergium, accuratius examinare præcipua tua dicta, quæ huc ſpectant: verùm, ſum pertæſus eadem toties repetere; quapropter quæro compendium.

Repeto tamen meas conſequentias ijſdem verbis, quibus eas poſuiſti in tuo textu *Cap. 9.* & diſcerno, quæ concedis, ab ijs quæ negas: concedis autem hæc quæ ſequuntur.

Ergò nullus Chriſtianorum debet in materia Fidei vlli hominum, vlli Concilio credere.

Ergò nullus Chriſtianus poteſt credere Articulos Fidei, niſi, præmiſſá oratione, conſulat Spiritum S. ex Sacris Literis.

Ergò,

Ergò, qui propter ætatem, aut defectum Sacri Codicis non sciunt, vel quibus non vacat legere Biblia (excipis non adultos) *non poßunt habere Veram Fidem.*

Ergò Generalia Concilia errare etiam poterant in Decretis de Canone Sacrorum Librorum.

Ergò nullus Christianus potest certò scire illos Libros, qui in Biblijs continentur, eße à Spiritu S. dictatos, nisi de hac Quæstione, præmissâ oratione, consulat Spiritum S. ex ijsdem Libris. Excipis simpliciores his verbis: *Simplicibus enim Christianis Libri indubiè Canonici abundè satis faciunt.*

Ergò Singuli Christianorum, sub pœnâ mortis æternæ, Quæstionem hanc (quinam Libri sint Canonici) determinare debent. Excipis simpliciores, & addis: *Sed vnde illud, sub pœnâ mortis æternæ? Additamento illo quid opus?*

Ergò quilibet Christianus Spiritum S. in Scriptura consulere debet de omnibus, quæ spectant ad Fidei integritatem.

Ergò quilibet Christianus &c. ex Sacris Literis definire tenetur Controuersias de Notis Ecclesiæ, de Iurisdictione Ecclesiasticâ, de Primatu Romani Pontificis, de Traditionibus, de Sacramento-

mentorum numero, de Iustificatione &c.

Ergò Viri, Adolescentes, Docti pariter, & indocti &c. tenentur iudicare de omnibus Controuersijs, quæ spectant ad Fidei Integritatem.

Ergò singuli Christianorum, cuiusuis sexus, & conditionis, tenentur definire totam Fidei Controuersiarum molem, quam Ecclesia definiuit ab Apostolorum tempore tot Concilijs. Adhibes hanc moderationem: *Quod definitum est, definiri opus non habet. Venit tamen vsus, vt definita recognosci opus sit huic, illi, isti, quomodo definita sint. Admittimus hæc sensu nostro, id est Christi.*

Ergò illustratio mentis, seu Diuini, & supernaturales motus, quos Spiritus S. excitat in mente Biblistarum &c. sunt Argumentum, vnde certò colligunt, se doceri à Spiritu S. verum sensum Sacrarum Literarum.

Ergò eiusmodi motus necessariò esse debent maximè Diuini, certi, & indubitati, sine vlla formidine erroris.

Ergò nullus Christianus, vel Christianorum Cœtus extat, qui eam habeat docendi Iurisdictionem, per quam alij Christiani teneantur credere in materia Fidei.

Ergò

Ergò nulla erit Iurisdictio Ecclesiastica &c: quam singuli Christiani, antequam subeant, non teneantur inuocato Spiritu S. ex Sacris Literis examinare, iusta, an iniusta sit.

Si Concilia omnia errare potuerunt; Ergò exercuerunt Tyrannidem contra Dei Verbum. Excipis Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum primum &c:

Ergò in dubium reuocantur omnes hæreses à Concilijs damnatæ. Hæc omnia, cum præfatis modificationibus, concedis in tuo textu. Videam, quæ negas: negas autem quæ sequuntur.

Ergò singuli Christianorum tenentur perlegere omnes, ac singulos vtriusq; Testamenti Libros, diuersasq; editiones ad inuicem collationare, tandem & desinire de Canone Librorum Sacrorum.

Ergò Biblistæ nimiũ præsumunt de Spiritu S.

Ergò singuli Biblistarum putant, se solos constituere veram Ecclesiam &c.

Ergò tota Iurisdictio Ecclesiastica, totaq; Ecclesia subijcitur turbulentissimæ quorumuis libidini, & inscitiæ, sub prætextu internæ vnctionis &c.

Ergò

Ergò Ecclesia, per talem credendi Regulam collecta, necessariò est phanaticorum cœtus.

Ergò ab Apostolorum tempore nullus extitit publicus verus Dei cultus. Hæc negas.

Quoniam verò tu non desipis eo vsque, vt ignores, speciem absurditatis, quam referunt tam illa, quæ concedis, quàm quæ negas, consequi ex concessis; notaui ex tuo textu duo loca, in quibus detergere conaris illam absurditatis speciem. Ita inquis *Cap. 8 §. 6. Nec tamen vllus vnquam Biblistarum vel somniando ita delirauit, vt singulos & singulas (& quidem, vt tu de tuo toties addis, sub pœnâ mortis æternæ) sic immediatè per se, & suo ductu, articulos fidei curiosius examinare debere, statueret. Hoc solùm volunt, neminem à Scrutinio Mysteriorum Dei (præsertim cui ætas, ingenium, occasiones non desunt) excludendum esse: inuitandos potius, vt Fidei suæ fundamenta ipsimet intelligere, nec illius rei curam supinè in alios reijcere velint: quid hic tam absurdi?*

Cap verò *9* §. 8. ita habes: *Tuum impugnas phantasma, non Euangelicorum assertionem. Nemo enim vnquam dixit, neq; somniauit,*

uit; omnibus & singulis Christianis tam præcisè iudicium personale de omnibus rebus ferendum esse. Hoc solùm volunt, vt ne quis à cognitione mysteriorum salutis excludatur. Controuersiæ, vbi Fidei securitatem non fatigant, ignorari possunt: vbi feruent, ignorari non debent. Non vt quisq; pro se, quà datur, irruat, sed vt quibus datum est, & ex officio incumbit, de Controuersijs disserant; alij verò, ex quibus fundamentis hoc aut illud statuatur, attendant & dijudicent;

Si VLRICE, esses Auctor huiuscemodi Doctrinæ, respectiuè ad Politicam Iurisdictionem; haud dubium, Politici te subijcerent quæstionibus, quæ te compellerent, illam eiurare. Quis Principum toleraret, singulos & singulas de suo Regno censere de Codice Legum, de eius editione, interpretatione, de Iure Regio, & de similibus? At excusas, quod Ratio Regiminis Politici diuersa sit à Regimine Ecclesiastico. Ego verò perquiro abs te, quid sibi velit Deus *Deut.* 17. hisce verbis: *Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat*

Domi-

Domino Deo tuo: *ex Decreto Iudicis morietur homo ille, & auferet malum de Israël: cunctusq; Populus audiens timebit, vt nullus deinceps intumescat superbia &c*: Vigebatne in Synagoga Sanctæ Inquisitionis officiũ? At hæc nunc huc non spectant.

CAPVT II.

Ex corruptela morum, non infertur corruptio Doctrinæ.

HIsce adumbrauerim Idæam tuæ responsionis ad meas Consequẽtias, quibus carpsi vestram Fidei Regulam, velut absurdissimam. Multa sunt quæ dixisti, ex quibus aliqua immediatè attingunt quæstionem controuersam: reliqua respiciunt illam eminus: ab his exordior.

Cap. 2. §. 7. & subsequentibus, ex vltronea nostra confessione deprauatorum morum apud Catholicos ætate Lutheri, infers, corruptam fuisse & Doctrinam. Sic enim inter alia inquis §. 10. *Fierine potest, vt publicæ mo-*

rum

rum corruptelæ non mentium quoqué trahant corruptionem? Paucis retundo hanc tuam illationem, & reprehensionem. Si quis Diabolo deferat Cultum Diuinum conſcius culpæ, & erroris, hic, ob hoc grande peccatum, non peccat in Doctrinam Fidei. Produc Decretum alicuius Pontificis, aut Concilij Generalis, quod approbet à me exaratam morum corruptelam, velut congruam Euangelio; & tùm conceſſero tibi, corruptam fuiſſe & Doctrinam. Qui fornicantur, adulterantur, furantur, qui per Simoniam ſibi coëmunt Eccleſiaſticas dignitates, vel ex auaritia diuendunt Indulgentias, hi & alij eiuſmodi, non ob id cenſentur corrupti in Fide: eſſent corrupti, ſi peccata hæc cenſerent non peccata. At inquies: Superſtitio in Cultu Sanctorum, in veneratione Reliquiarum, eſt ex praua Doctrinâ. Sit: quid inde? Ergonè corrupta Eccleſia Catholica quoad Doctrinam? foret corrupta, ſi ſuperſtitiones eiuſmodi vrgeantur

antur

antur apud Fideles Decreto Pontificio, & Concilij Generalis, cuiusmodi nullum est. Quod verò inter Fideles reperiantur, qui ignorent Sacram Doctrinam, imò & qui deprauatè sentiant de illa, nemo sanæ mentis est, qui neget, quiue ob id secedere velit ab Ecclesia. Miror, quod hæc vel ignores, vel dissimules.

Capite verò 8. à §. 8 vsq; ad finem Capitis longiore digressione Historicè probas, extitisse quamplurimos, qui petierint reformari corruptos plerosque Ecclesiæ mores: quapropter seuerissimè animaduertis in hæc verba: *Sed ò iram Diuini Numinis: defuit, qui expostularet oportunam Reformationem; nec tamen defuere, qui in Orbe creparent secessionem ab Ecclesiâ Catholicâ.*

Respondeo. Duo hominum Genera petiere Reformationem: Catholici, & Acatholici. Existimabam, te tribuere mihi tantum discretionis, vt supponeres, me cognouisse, penè vniuersos Principes Catholicos, ipsosq; Pontifi-

ces,

ces, & Cardinales petijſſe Reformationem morum: at Lutherus, Caluinus, & eius generis homines poſtulauerunt reformari Doctrinam, præter mores. Nos verò exiſtimamus, inſanire illos, qui exiſtimant, Deum permittere labi Fidem in Eccleſia. nec mirùm, ſi hac in parte non ſunt exauditi. Indolui ergò, neminem extitiſſe Bibliſtarum, qui, conſeruatâ fide Catholicâ, velut incorruptâ, expoſtularet ſolam morũ Reformationem. Quod, ſi qua Doctrinæ corruptela inuaſit pleroſq; de populo, ea vtiq; reformanda eſt ad normam Doctrinæ, quam Romanus Pontifex incorruptè proponit Orbi credendam.

CAPVT III.

Nulla Concilia Generalia poßunt excuſari à Tyrannide, ſi penes ſingulos ſit ius damnandi ex Sacris Literis Decreta eorum.

IN illo Tractatu meo de veſtra credendi Regula, quem confutare niteris,

teris, tametsi enarrauerim Sententiam Catholicorum de Fidei Règula, eam tamen nec vno argumento confirmaui: neq; si nostra Fidei Regula damnetur erroris, vestra ob id fuerit vera: quapropter, non considero hoc loco pleraq; tua Dicta contra Auctoritatem Romani Pontificis, Conciliorum Generalium, & similia. Habes de his meam Sententiam exaratam in illa parte, vbi tracto de Catholicorum credendi Regula. Ibi te præstolor.

Est tamen vnum quid, concernens Generale Concilium, quod nequeo transilire. *Cap.* 6. mei Iudicij de vestrâ Fidei Regula intuli, omnia Concilia Generalia fuisse Tyrannica, si singulis liceat ex Sacro Textu dijudicare Concilij Generalis Sententiam de Fide. Consequentiam probaui vno argumento, quod commune est omnibus Concilijs Generalibus, quòd nimirùm excommunicauerint eos, qui ex Sacris Literis ausi sunt damnare Decreta Concilij Generalis concernentia

tia Doctrinam Fdei. In huius excommunicationis exemplum, adduxi Cōcilia Generalia Nicænum 1. Constantinopolitanum 1. Ephæsinum 1. Constantinopolitanum 2. Illi Argumento adiunxi ad maiorem exaggerationem, mulctatos Hæresiarchas pœnâ capitali, inuocato brachio sæculari: Demùm, commemoraui bella suscitata per Concilia Generalia contra illos Principes, Reges, & Imperatores, qui ausi sunt obsistere Conciliorum Doctrinæ in materia Fidei. Neq; enim ego suppolsui, singula Concilia mulctasse Hæreticos pœnâ capitis, & suscitasse bella. Textus meus sic habet: *Quia omnia Concilia generalia excommunicarunt, nec non & inuocato sæculari brachio quandoq; extremo supplicio affecerunt &c*: Tu verò, & quotquot scripserunt contra meum Tractatum, accusatis Tyrannidis illa Concilia, quæ mulctarunt Hæreticos pænâ sanguinis, & suscitarunt bella; & dissimulatis vim mei argumenti, quæ consistit in excommunicationis sententiâ,

tentiâ, latâ ab omnibus Concilijs generalibus contra illos, qui ausi sunt ex Sacro Textu damnare Concilij Canones in materia Fidei. Neq; enim tradere Hæresiarcham brachio sæculari, & adhortari aliquos Principes, qui militari potentiâ obsistant Regibus, & Imperatoribus Hæreticis, persequentibus Ecclesiam Dei, sunt Decreta Conciliorum nulli (secundum Catholicorum Sententiam) iniustitiæ, & errori obnoxia. At verò damnare Hæresin, & consequenter dicere Anathema in Hæreticos, sunt Actiones Synodales, quæ, secundum Catholicos, sunt immunes ab errore, si Concilium fuerit Generale, confirmatum à Romano Pontifice.

Itaq; repeto, omnia Concilia Generalia exercuisse Tyrannidem execrandam in Ecclesia, si Tyrannicum sit, Anathematizare eos, qui ex Sacris Literis ducunt Argumenta contra Doctrinam Fidei publicatam à Concilijs: ita vt frustrà excipias Nicænum, Constantino-

tinopolitanum, Ephæſium &c: Me delectat, quod vnanimes captetis quæuis effugia: nam hinc euidentius conijcio, veſtram Doctrinam, teſte veſtrâ conſcientiâ, egere diuerticulis, atq; latibulis.

CAPVT IV.

Catholici credunt, Verbum Dei ſcriptum eſſe infallibile.

VIderis ergò non ſtudere Veritati perquirendæ, ſed obſcurandæ: habeo huiuſce tui conſilij plura Argumenta, ex quibus vnum ſibi poſcit hunc locum. Vbi negas (vt ſupra monui) non vobiſcum affirmare, Verbum Dei ſcriptum eſſe certum, & infallibile, ita dicis: *Cap. 6. §. 2. Equidem à parte noſtra ita indubitatè credi, poſitioneſq; illas adeò pro Articulis Fidei haberi, vt ſanguine etiam noſtrorum obſignentur, conſtat. Vos autem, quando hic nobiſcum acceſſiſtis? & ſerione? conſtat enim à pleriſq; Veſtratium in extollenda Eccleſiæ, & deprimenda Scripturæ Authoritate, modum ex-*

cessum esse. Ecclesiam potestatem habere super Scripturam; expressè scripsit; Argumentisq́ᵹ euincere conatus est Eccius (Enchirid. Loc. Comm. Cap. de Eccl.) Alij certitudinem & infallibilitatem Scripturæ non nisi ex Sensu Ecclesiæ intellectæ, tribuunt: adeò vt Normam Fidei constituant Scripturam, Normam verò Scripturæ Ecclesiam. Qua ratione certitudo & infallibilitas reuera non Scripturæ, sed Ecclesiæ inerit: Anathemaq́ᵹ erit, non qui à Sensu Verbi Dei, sed qui à Sensu Ecclesiæ recedit. Quod si tu tibi quoqᵹ resercias (fingo enim nunc me id nescire) ludis nobiscum, remq́ᵹ vbi in luce ponenda fuit, tenebris inuoluis.

Multa scripsi, mi Vlrice, pro Catholicis, & contra Biblistas; ex quibus nil omnium est, quod vos pupugerit aculeatius, quàm prima verba ad Lectorem primi Tractatus, quem edidi. Ea sunt:

Hac ætate omnes Christiani credunt Deo, credunt Christo, credunt & Sacris Literis.

Incredibile dictu, quantum odij, inuidiæ, ac detestationis hæc pauca verba mi-

ba mihi deriuauerint à vobis. Iohannes Maior longâ ratiocinatione inferre conatur, quòd in præallegatis meis verbis, à me peccatum sit semel in Grammaticâ, bis in Historia, quinquies in Logicâ, nouies in Theologiâ: quapropter concludit, me esse Acatholicum, & agere peruersè: siquidem separo Christum à Deo, & contradico Spiritui, Stylò Prophetico, & Apostolico: præterea dicit, me habere fidem nihilo meliorem fide Diabolorum: Hæreticos cum Catholicis, Fideles confundere cum Infidelibus; aliter de Fide loqui, quàm Symbolum Apostolicum.

Iacobus verò Martini ex ijsdem verbis post longam deductionem, tandem infert hanc conclusionem.

Ergò hic Monachus Capucinus, omnium hominum consensu, est spermologus absurdissimus, & impostor fallacissimus, & calumniator impudentissimus, cui nemo habere fidem debet, vel potest.

Tu autem acerbitatem sententiæ tuæ inducis contra me, non velut sim

blasphemus; sed quasi in re seriâ ludam vobiscum, scilicet, velut per ironiam dixerim, nos Chatholicos credere Sacris Literis: nimirùm, suo Iudicio, tam est euidens, Catholicos non credere, Sacrum Textum esse Verbum Dei infallibilè, vt si qui illorum affirment, se sic credere, ij vltrò censeantur ludere; ac iocari: sed ego existimo, vos id negare contra propriam conscientiam.

At, non immeritò vir prudens miretur, quid id sit in illis meis verbis, quod tantoperè vos offendat. Quidnam intolerabile vobis dixi, cùm scripsi: Omnes Christiani hac ætate credunt Deo, credunt Christo, credunt & Sacris Literis? Pando mysterium. Ex hoc meo dicto colligitur, controuersiam inter nos & vos, non esse de auctoritate Dei, Christi, & Sacrarum Literarum; sed de auctoritate explicantium Sacras Literas; scilicet, an vxor Vlrici, an ancilla eius possint opponere explicationem propriam alicuius

Sacri

Sacri Textus, illi explicationi eiusdem Textus, quam Concilium generale, facto Decreto, publicat Ecclesiæ vniuersæ. Hæc antithesis inter quemlibet, & quamlibet ab vna, & Concilium generale ab altera vos suffundit tanto pudore, vt sit consilij vestri dissimulare pudorem hunc, negando, Catholicos credere Deo, Christo, & Sacris Literis: &, ne sit suspicio vos fingere hanc Catholicorum incredulitatem, simulatis, vos agi in furorem, vbi quis Catholicorum profitetur, se credere Sacris Literis. Qui impudentissimè mentiuntur, solent, vt mendacio fidem acquirant, vehementissimâ asseueratione contumeliosissimè insurgere in eos, qui se mendacij coarguũt.

Verùm, tu insistis auctoritate Echij, & aliorum vt supra retuli. Sed Echius dicit, Ecclesiam habere potestatem discernendi inter libros canonicos, & apochryphos, & sic sentiunt Catholici: insanus verò fuerit, qui hinc inferat, Catholicos non credere Sacræ

Scripturæ. Catholici docent, certitudinem veræ expositionis Sacri Textus haberi ab Ecclesia: tu verò calumniaris, quasi Catholici doceant, expendi veritatem Sacri Textus ex Ecclesiæ Auctoritate, quasi id duntaxat sit verum in Scriptura Sacra, quod Ecclesia suo calculo approbauerit; vt scilicet Ecclesia sit Norma Scripturæ, vt Scriptura est Norma controuersiarum Fidei. Miror, vestrum pudorem esse adeò hebetem, vt vos pronos in calumnias contra Catholicos, nequeat compescere. At hisce non immoror: nam, tametsi Catholici nec Scripturæ, nec Deo crederent, vestra Fidei Regula non propterea fuerit non absurdissima. Sed, etiamsi non coarguamur attentatæ censuræ in Sacrum Textum; tamen nobis vitio vertis, quod tribuamus Concilio Generali vna cũ Romano Pontifice infallibilitatem in exponendo Sacro Textu: Sic enim habes *Cap. 1* tuæ Appendicis §. 14.

Ante omnia absurdissimum est, Ecclesiæ par

cum Deo non errandi Priuilegium tribuere, quod facis in fine Cap. 17. Verbis istis: Impoſſibile eſt Eccleſiam & Deum aut decipi, aut decipere. *Abſurdè inquam duo illa (nè dicam periculosè & impie) ſic coniungis. Deum eſſe veritatem, fallere & falli neſciam, ſcimus. Eccleſia autem quid eſt? Cætus hominum. Homines autem quid? Vanitas, ſi paulùlum deſerat Deus. Deſerit autem illos, qui, ſibi ipſis complacendo, authoritatem ſibi Diuinam (inuito Deo) tribuunt.* Mala fide mecum agis: ſcis, me non æquare infallibilitatem Dei; & tamen blaſphemiam hanc mihi imputas. Sed quorſum abis cum tuis abſurdis? Si auctoritas Concilij Generalis eſt fallibilis, cur veſtra priuata ſcrutinia ſunt infallibilia? At inquis: non ſunt infallibilia. Et ego infero. Ergò non habetis fidem, ſed opinionem ſemper dubiam. Si id negas eſſe abſurdum, non eſt, cur tecum agam, aut diſputem; nec cum tui ſimilibus.

CAPVT QVINTVM.

Vlricus, qui debuisset adducere sua Argumenta à ratione, ineptè ducit à multiplici auctoritate.

POrrò hæc, & pleraq; eiusmodi, eminus, vt dixi, respiciunt nostram capitalem quæstionem: non enim vestra Fidei Regula non erit absurda, tametsi apud Catholicos & mores corrupti sint, & Doctrina, contradicantq; sibi Concilia nostra, arceantq; Catholici populum Christianum à scrutinio Sacri Textus; imò nec credant Deo, nec Scripturæ Sacræ: non, inquam, propterea declinare potestis ab absurdis à me illatis. Ego enim in Tractatu de Acatholicorum credendi Regula non defendo nostram, sed impugno vestram: quapropter potuisses abstinere ab argumentis contra nos; & soluere debuisses argumenta mea contra vos. Verùm, vt intelligas, quàm id imperfectè & confusè actitaueris, notabo per ordinem duo.

Tota illa pars tui Tractatus, in qua defendis vestram credendi Regulam, non solùm nil penitus habet non dictum, & adductum à Iohanne Maiore, Iacobo Martini, & Io. Botsacco; sed neq; post hos reprehensos à me, intellexisti, te nil dicere ad rem. non enim duntaxat vobis obijcio hæresin: si enim hoc agerem, licuisset illis, & tibi hanc notam eluere, adducto pro vobis Sacro Textu, & alijs eius generis argumentis; verùm, contendo, vos ea dicere, quæ inuoluant absurditatem pudendam, atq; ridiculam; & quidem adeò, vt sæpius sim protestatus, me nec censere Sacrum illum Textum, nec Sanctum illum Spiritum, nec Redemptorem hominem illum, qui admittat, ac collaudet, quemlibet, & quamlibet posse, ac debere dijudicare, ex Sacro Textu lecto, vel audito, etiam totius Ecclesiæ Doctrinam de essentialibus Fidei. Tu verò nosti, quas inde absurditatum differentias excusserim. Cur ergò collaudare niteris has absurdita-

tes ex Sacro Textu? Sanè tui muneris erat, vel negare, vos admittere hæc absurda, vel detergere conſpicuam notam abſurditatis, non quidem argumento ducto ab auctoritate, ſed à ratione, quæ emolliret duritiem illarum aſſertionum.

Ego amo Scriptorem accuratum, qui non digrediatur à conſtituto Themate, non ſolùm non excurrendo ad aliena, ſed optem, quemlibet ſibi temperare à ſuperfluitate eorum, quæ etiam non ſunt extra rem, quæ agitur. Putaſnè me tam ineruditum in Sacris Literis, vt etiam nequiuerim ex inde comprobare Eccleſiæ auctoritatem, & reprobare veſtra priuata ſcrutinia? Potuiſſem; nec tamen præſtiti, quandoquidem mihi conſtitueram argumentari in hac quæſtione ex illis ridiculis, atq; pudendis abſurdis: neq; volui meo exemplo vos compellere ad Sacras Literas, ſed ſinere deſtitutos omni argumento, quod non ducatur à rectâ ratione, vt experirer, an cum fi-

de o-

de obruatis & rationem.

At inquis: detersi omnem maculam absurditatis illis duobus textibus supracitatis. Vbi dixisti, Biblistas non eò vsq; delirare, vt velint, singulos, & singulas sic examinare Doctrinam Fidei ex Scripturis, vt ego assero. Audiam te, sed infra, loco opportuniore. Intereà tamen tibi prædico, te non solùm non detersisse labem absurditatis, sed prodidisse luculentius, non sine nota stuporis vestri.

Qui ergò totus esse debueras in diluendâ absurditate obiectâ, totus fuisti in confirmandâ per auctoritatem Sacri Textus, & aliorum; quos, si tecum sentiunt, cogor (vt sum protestatus (credere esse absurdos, perinde ac vos estis.

Secundo loco notaui, quod non solùm non abstinuisti ab auctoritate Sacri Textus, & Conciliorum Generalium; sed & priuatos Auctores Catholicos, quos maximo interuallo habeo infra Sacrum Textum, inducis, quate-

nus eorum dictis excusare valeas apud me, obiectas absurditates vestras. Non puto, Vlrice, quod Valerianum cogitabas, dum hæc scriberes, sed quemlibet, & quamlibet de vestro cætu, quos speras adducere in admirationem styli tui, luxuriantis multâ pompâ, & superfluitate textuum adductorum ex Biblijs, ex Patribus, & alijs Scriptoribus Catholicis. Satis enim nosti, Catholicos existimare, posse quemlibet Sanctorum Patrum, & consequenter quemlibet alium virum pium, atque Catholicum errare in multis. Quapropter, ab auctoritatibus eiusmodi nullum ducitis argumentum conuincens Catholicos: siquidem & nos, & vos non statuimus Fidei Regulam infallibilem in eiusmodi dictis Hæc, inquã, nosti: & prætereà scis, me in meo Tractatu voluisse cauere Catholicis ab eiusmodi vestris digressionibus à capitali quæstione, quæ disputatur: scripsi enim in hunc Finem Apologema Catholicum, in quo *Cap.* 4. ita habeo:

Illa

Illa (ſubaudi Doctrinam Catholicam) *debet conſtare vobis longius ſecreta ab omni inuolucro aliarum Doctrinarum, vt diſtinctius videatis metam, in quam vibretis fulmina veſtra. Sæpius exiſtimatis, vt Catholiciſmum veſtris telis, illis vel in caſum prætervolantibus, vel petentibus vnum aliquem de cætu Catholicorum.*

Hæc tu videris diſſimulare. Si diſſimulas Stylum, quem adhibere debuiſſes, laudo prudentiam, licet malè adhibitam: ſin verò neq; intellexiſti, quid fuerit tui muneris, miſereor tui: vtut ſit, non ſemel, ſed ſæpius proieci calamum, non reſponſurus tibi; ſed reaſſumpſi, vt conſulam ijs, quos tuus textus ſeducere poſſet.

Vt verò paucis me expediam à reliquis, quæ non euertunt, ſed vellicant, aut arrodunt mea argumenta, innuo aliquid de multa farragine tuarum ineptiarum. Multa ſupponis, quæ ſunt fallaciſſima. Putas Catholicos retrahi à ſtudio Sacrarum Literarum, innixos Conſilijs generalibus: id falſum eſt. Supponis, nihil magis practicari debere

bere in Ecclesia, quàm scrutari credenda ex Sacris Literis. Erras. In Ecclesia Catholica notissima sunt, quæ credi debent, eaq; à nullo Catholicorum in dubium vocantur. Vos Biblistæ semper dubitabundi, scrutamini semper, quæ credi debent. Erras, cùm supponis, Catholicos nil aliud credere, quàm implicitè, quod credit Sancta Mater Ecclesia. Catechizantur iuniores, & de suggestis instruitur populus, & editis innumeris libris popularibus, quilibet, & quælibet potest proficere in fide explicitâ; neq; vllus arcetur à studio Theologico, quorum sunt innumeri, & ex his plurimi magni nominis, quauis ætate. Cæterum, me tædet ad nauseam vobis ingerere, quæ centies dixi. Aliud est Textus: aliud explicatio. Alia est expositio Sacri Textus ab Ecclesia: alia à quolibet, & à qualibet. Aliud est auocare populum à Textu ad Ecclesiam: aliud est. Ecclesiam prouocare populum ad Fidem Doctirnæ contentæ in Sacro Textu.

CAPVT VI.

Difficultates motæ ab Vlrico de statu quæstionis, & differentiis regularum Fidei, non concernunt quæstionem, quæ controuertitur.

HIsce ergò præmissis, & discussis, cominus accedo quæstionem, quæ inter nos controuertitur. Et quidem primò omnium confirmare debere statum quæstionis à me propositæ, quem tu reprehendis, & inuertis, seu confundis: sed id nullo modo necessarium est, siquidem in meo textu, post præfatam quæstionem à me formatam, immediatè Cap. 2. Succedunt hæc verba: *Hanc verò quæstionem de regula credendi nolumus hoc opusculo definire; sed ex Biblistarum sententiâ, nonnullas deducemus consequentias, quæ videntur absurdæ: nam quod attinet ad Catholicam credendi regulam, ea (ad speciem) supponitur explosa.*

Exordior ergò meam essentialem animaduersionem in tuam confutationem, à præcisâ declaratione fidei, eius

ius regula inquiritur. Sum protestatus, me non tractare de regula vllius fidei, quàm de illâ, quæ à vobis dicitur historica, nobis verò sola dicitur fides: vos enim præter hanc, commemoratis fidem miraculorum, & fidem iustificantem. Illa est quædam fiducia, quod Deus patraturus sit miracula ad nutum eius, qui hanc fidem habet: Hæc consistit in fiducia certâ, quòd nobis remissa sint peccata ob meritum Christi. Has fides ego meo plectro nec tetigi, neq; nunc tango: regulam inquiro solius fidei, quam dicitis historicā. Inchoaturus hanc inquisitionem de regula credendi, postulaui primo omnium, concedi mihi per vos, fidem historicam Christianam debere esse certam, atq; indubitatam: nimirùm, non alloquor eum, aut eos, qui postulatum hoc reijciunt. Audi vltima Præfationis meæ ad vos, tractaturus de vestra fidei regula: *Vno verbo* (sic habet meus textus) *cuncta perstringo. Date nobis infallibile fundamentum vestræ fidei historicæ circa disputatas*

quæ-

quæstiones de fidei essentialibus.

Tu verò *Cap.* 9. §. 14. ex Bellarmino *lib.* 6. de Gratia, & libero arb. *Cap.* 3. vrges (licet in alium finem) argumenta, quæ Articulos fidei noſtræ credibiles faciunt, non talia eſſe, vt fidem omninò indubitatam reddant, niſi mens diuinitus adiuuetur.

Reſpondeo, diſtinguendo inter certitudinem, & credibilitatem. Bellarminus cum alijs ſentit, articulos fidei eſſe euidenter credibiles, licet exiſtimet, non eſſe euidenter certos. Ego verò intuli, veſtram fidei regulam eſſe euidentiſſimè abſurdam, & ridiculam. Si enim & veſtra fidei regula foret credibilis, tametſi non adeò euidenter vt Catholica, pateret tibi aliquod ſubterfugium; ſed cùm ſit eo vſq; abſurda, ſententia Bellarmini nullo modo tibi ſuffragatur.

Quod verò *Cap.* 8. §. 3. vt ſupra retuli, diſtinguas regulam credendi, qua trahuntur Infideles ad fidem Chriſtianam, à regula credendi, qua reuocantur

tur Hæretici ad Ecclesiam: & voluisses, me abstinuisse à tractatu illius, & totum versari in disquisitione huius. Respondeo. Vnicam censeo esse regulam credendi, secundum quam credunt omnes ac singuli, qui vocantur ad Ecclesiam, siue ex Infidelibus, siue ex fidelibus progeniti. Tenebras verò vestras censeo latere sub illa differentia, quam statuis inter hasce regulas. Equidem scio, plerosq; suscipere fidem Christianam, commotos leuiori argumento, non quod desint grauiora, sed quod illa ignorent. At extant per diuinam prouidentiam fundamenta fidei Christianæ solidissima: hæc ego perquiro in Tractatu de Catholicorum credendi regula; quatenus exinde exponam vobis perfectissimam fidei Christianæ regulam. Vna est ergò regula credendi potis dirigere ad fidem Infideles, & reuocare ad Ecclesiam Hæreticos, & conseruare in fide Catholicos; quæ à Christo ad hæc tempora immutata perseuerat. Tu hic

&a-

&alibi sæpius in tuo Tractatu suppo-
nis,nunc temporis Ecclesiam esse cor-
ruptam, & sanari debere per regulam
credendi diuersam ab illa, quam ad-
hibuere Apostoli:scilicet, quandoqui-
dem, secundum vestram opinionem,
Ecclesia corrupta est quoad mores, &
doctrinam, neq; patitur se reformari,
adhibenda sunt priuata scrutinia sin-
gulorum, & singularum; quatenus Ec-
clesia collapsa restituatur.

Sed siue sit vnica fidei regula, siue
fingãtur plures, meæ cõsequẽtiæ, quas
tu euertere conaris,feriunt vestrã fidei
regulam, quã publicè edito libro, po-
stulaui apud vniuersam Ecclesiam hæ-
resis, absurditatis, & insaniæ: quapro-
pter,non patior me distrahi ad quæsti-
ones,alienas à proposito scopo.

CAPVT VII.

*Expenditur responsio Vlrici ad capita-
le argumentum contra Biblistarum
regulam credendi.*

ITaq; mi Vlrice,quod Ecclesia Ca-
tholica sit corrupta quoad mores,

quoad doctrinam: quod non deferat auctoritati Sacrarum Scripturarum: quod nostra generalia Concilia nec sint legitimè congregata, neq; œcumenica, neq; Ecclesiastica, sed tyrannica: quod status quæstionis à me non sit satis Logicè formatus: quodué hac ætate adhibenda sit regula fidei diuersa ab illa, quæ adhibebatur in primitiua Ecclesiâ: hæc omnia, & alia pleraq; eiusmodi, quæ breuitatis causa prætereo, tametsi definiantur secundum tuam sententiam, nil tibi prosunt; quatenus, vel vnicam consequentiam, meam sistere possit, quin sequatur ex primis illis quinque antecedentibus Propositionibus, contra quas nil habes in tuo Tractatu.

Vt verò accuratius notem, quid ponderis habeat tua confutatio, pono Syllogismum, qui complectitur omnes meas consequentias.

Biblistæ docent, quemlibet & quãlibet posse, ac debere dijudicare ex Sacro Textu lecto, vel audito, etiam totius

totius Ecclesiæ Doctrinam de Essentialibus Fidei, vtrum concordet, aut discordet à Sacro Textu.

At verò illi, qui docent, quemlibet & quamlibet posse, ac debere dijudicare ex Sacro Textu lecto, vel audito, etiam totius Ecclesiæ Doctrinam de Essentialibus Fidei, vtrum concordet, aut discordet à Sacro Textu, necessariò deficiunt à Fide Catholica; & delabuntur in hæresim absurdam pudendam, & ridiculam.

Ergò Biblistæ deficiunt à Fide Catholica; & delabuntur in hæresim absurdam, pudendam, & ridiculam.

Primam Propositionem, scilicet Minorem (si consulo tuum textum supra relatum) concedis cum modica restrictione. Concedis, inquam, nullum Christianorum debere in materia Fidei vlli hominum, vlli Concilio credere, nisi, præmissâ oratione, consulat Spiritum Sanctum ex Sacris Literis; ita vt illi, qui propter defectum Sacri Codicis, aut legendi ignorantiam,

vel

vel quibus non vacat legere Biblia non possint habere verã Fidem. Cùm verò Concilia generalia errare potuerint in Decreto Sacrorum Librorum, nemo Christianorum potest certò scire, Sacros Libros esse à Spiritu Sancto dictatos, nisi de hac quæstione, præmissâ oratione consulat Spiritum S. ex ijsdem libris: & idcircò quilibet, & quælibet Christianorum debet proprio Scrutinio ex Sacro Textu determinare quæstionem de Canone Sacrorum Librorum. Porrò, ex eo, quod Cõcilia generalia, & Christiani omnes errare possunt in ijs, quæ spectant ad fidei integritatem, cõcedis, quemlibet, & quamlibet debere Spiritum S. consulere ex Libris Sacris de omnibus, quæ spectant ad eiusdem fidei integritatem: scilicet, de notis Ecclsiæ, de Iurisdictione Ecclesiasticâ, de Primatu Romani Pontificis, de Traditionibus, de numero Sacramentorum, de Iustificatione, & de alijs eiusmodi Articulis: in quem finem possunt, ac debent,

præ-

præmissâ oratione, consulere Spiritum Sanctum ex Sacris Biblijs, de versione, integritate, & editione Sacrorum vtriusq; Testamenti Librorum: licet tu indulgeas simplicioribus vacare ab hoc examine; fortassis, quod id poscat cognitionem linguarum Orientaliũ; ita vt Singuli Christianorum adultorum, cuiusuis sexûs, & conditionis existant, teneantur sub pœnâ mortis æternæ (nimirùm, si sub pœnâ mortis æternæ tenentur credere) nõ longè minorem fidei controuersiarum molem definire, quàm quas Ecclesia Christi ab Apostolorum ætate ad hæc tempora in tot Consilijs definiuit.

Tu vero hac in parte tam sincerè mecum agis, vt etiam mihi concesseris, singulos, & singulas Christianorum certò cognoscere ex propriâ illustratione mentis, & supernaturali afflatu S. Spiritus, se doceri à Spiritu S. verum sensum Sacrarum Literarum: qui motus interni sint maximè diuini, certi, & indubitati, adeò vt, sine vlla formi-

formidine erroris, vnica muliercula possit opponere suum priuatum scrutinium ex Sacris Literis publico Scrutinio, & Decretis Concilij generalis. Neq; exhorres, imò apertissimè concedis, nullum esse Christianum, aut Cœtum Christianorum, qui eam habeat docendi iurisdictionem, per quā alij Christiani teneantur credere in materia fidei; sed licet singulis, antequam subeant vllam iurisdictionem Ecclesiasticam, inuocato Spiritu S. examinare ex Sacris Literis, iustanè sit, an iniusta. Cæterùm, non dissimulas, sed concedis, omnia Concilia generalia, quomodocunq; in Ecclesia Dei celebrata, quæ excommunicarunt eos, qui ex Sacris Literis, inuocato, ac consulto Spiritu S., eorundem Conciliorum Decreta in materia fidei ausi sunt vel negare, vel in dubium reuocare, exercuisse detestandam tyrannidem in totam Christi Ecclesiam contra Verbum Dei; itaut in dubium reuocentur apud singulos, & singulas

omnes

omnes hæreſes à Concilijs damnatæ.

Hæc omnia mihi conceſſiſti, ſuauiſ- ſime, ac liberaliſſime Vlrice; negas tamen, ſequi ex conceſſis à te has, quas ſubdo Conſequentias, videlicet: Bibliſtas nimium præſumere de Spiritu S. Singulos, & ſingulas Bibliſtarum exiſtimare, eos duntaxat conſtituere veram Eccleſiam, qui ſentiunt de fide, iuxta priuatum cuiuſq; ſcrutinium; & conſequenter negas, eſſe apud vos tot putatiuas Eccleſias, quot ſunt capita Bibliſtarum, qui contradictoria credunt. Negas quoque ſequi ex conceſſis, iuriſdictionem Eccleſiaſticam, totamq; Eccleſiam ſubijci turbulentiſſimæ quorumuis libidini, & inſcitiæ ſub prætextu internæ vnctionis; eſſeq; Eccleſias, per talem credendi regulam, collectas, fanaticorum cætus; adeò vt ab Apoſtolorum ætate, nullus extiterit publicus verus Dei cultus, ſcilicet, auctoritate publicâ infallibili decretus.

Ego verò, cùm ex te habeam clarè,

& categoricè, quæ supra retuliste, concedere, nolo contendere tecum, an ex concessis, necessariò sequantur quæ modò retuli à te negari: iudicent illi, qui non desipiunt. Mihi autem sufficit, te eatenus, vt retuli, admittere hanc Propositionem supra relatam:

Biblistæ docent, quemlibet, & quámlibet posse, ac debere dijudicare ex Sacro textu lecto, vel audito, etiam totius Ecclesiæ doctrinam de essentialibus fidei, vtrum concordet, aut discordet à Sacro textu.

Sequitur altera.

At verò illi, qui docent, quemlibet, & quamlibet posse, ac debere dijudicare ex Sacro textu lecto, vel audito, etiam totius Ecclesiæ Doctrinam de Essentialibus Fidei, vtrum concordet, aut discordet à Sacro Textu, necessariò deficiunt à Fide Catholicâ, & delabuntur in Hæresim absurdam, pudendam, & ridiculam.

Quid tu ad hanc Propositionem? Dicam ego ex tuo Textu. Concedis illam

Iam *Ca.8 §.6.* & *Cap.9.§ 8.* Sed cum molli, & delicatula distinctione. Ibi sic inquis: *Hoc solùm volunt* (subaudis Biblistas) *neminem à Scrutinio Mysteriorum Dei (præsertim cui ætas, ingenium, occasiones non desunt) excludendum esse: inuitandos potius, vt Fidei suæ fundamenta ipsimet intelligere, nec illius rei curam supinè in alios reijcere velint. Quid hic tam absurdi?*

Quid verò sentis de illis, qui docerent, singulos, & singulas Christianorum debere immediatè per se, & suo ductu Articulos Fidei curiosius examinare? Tu prudentissimè censes, hos somniare, ac delirare: ita enim habes, vbi supra: *Nec tamen vllus vnquam Biblistarum, vel somniando ita delirauit, vt singulos, & singulas (& quidem vt tu de tuo toties addis, sub pœna mortis æternæ) sic immediatè per se, & suo ductu Articulos Fidei curiosius examinare debere statueret.*

Itaq; per te, & per me, dormiat, somniet, atq; deliret, qui eiusmodi priuata scrutinia inducit. Sed mihi liceat sciscitari ex te, quid facturi sint illi &

illæ, quibus desunt ingenium, & occasiones instituendi scrutinia acriora ex Sacro Textu; & intelligunt, aut credunt, neminem existere viuentium, qui non possit & decipi, & decipere in proponendâ, ac discutiendâ Sacrâ Doctrinâ? Quid dicis, Vlrice? Dixisti, & retractare pudebit: consule, ac perpende quæ concessisti; & cognosce, per te debere singulos, & singulas examinare, & iudicare ex Sacro Textu etiam Conciliorum Generalium Decreta concernentia Fidem: vbi enim hanc Consequentiam admittis: *Ergò quilibet Christianus &c: ex Sacris Literis definire tenetur controuersias de Notis Ecclesiæ, de Iurisdictione Ecclesiasticâ, de Primatu Romani Pontificis, de Traditionibus, de Scramentorum numero, de Iustificatione &c.*

Eam sic comprobas: *Responsum iam est. Omnes de omnibus iudicare debent, quia Spiritualis homo iudicat omnia* 1. Cor 2. 15. *Stylo autem Apostolico, Spiritualis opponitur non sæculari, seu politico, vt hodie: sed animali Ibid.* ℣. 14. 15. *Hinc Chrisostomus: Audite obsecro seculares*

homi-

homines, comparate vobis Biblia, animæ pharmaca &c: in 2. Tim. 9. Et allegaui Cap. 6. §. 9. *Acostam vestrum, illiteratos etiam qui purâ mente ad Scripturarum Lectionem, dijudicare omnia.* Hæc tu.

Heus, Vlrice! Expergiſcere. Dormis. Somnias. Deliras.

Sed videam, quid habeas *Cap. 9. §. 8.* Intuli ego ex veſtra ſententiâ, ſingulos, & ſingulas Chriſtianorum teneri perlegere omnes, ac ſingulos vtriuſq; Teſtamenti Libros, diuerſaſq; editiones ad inuicem collationare, tandem definire de Canone Librorum Sacrorum &c: Tu verò hiſce me reprehendis:

Tuum impugnas phantaſma, non Euangelicorum aßertationem. Nemo enim vnquam dixit, neq; ſomniauit, omnibus, & ſingulis Chriſtianis tam præciſè iudicium perſonale de omnibus rebus ferendum eße.

Sit ergò ratum, ſit per te conceſſum, eos, qui id aſſerunt, ſomniare, & habere Phantaſiam corruptam. Peto igitur abs te; quid ſibi volunt Bibliſtæ, cúm tantoperè vrgent illud: *Scrutamini Scri-*

pturas? Respondes. *Hoc solùm volunt, vt ne quis à cogitatione Mysteriorum salutis excludatur. Controuersiæ, vbi Fidei securitatem non fatigant, ignorari poßunt; vbi feruent, ignorari non debent. Non vt quisque pro se, quà datur irruat; sed vt quibus datum est, & ex officio incumbit, de controuersijs dißerant.*

Huc vsq; Catholicè loqueris; & hic vnicus tuus Textus dilueret omnem notam hæresis, & absurditatis; sed simul extingueres omnes Sectas Biblistarum. Verùm, immediatè hæc subiungis: *Alij verò, ex quibus fundamentis hoc, aut illud statuatur, attendant, & dijudicent.*

Feruent, Vlrice, hoc postremo Sæculo omnes penè controuersiæ, quæ ab ætate Apostolorum vsquam fuerunt agitatæ, ac definitæ in Ecclesia Christi: has tu vis tractari ab ijs duntaxat, quibus datum est, & ex officio incumbit. Cæteri Biblistarum eas controuersias ignorare non debent, quandoquidem, vt dixi, fatigant fidei securitatem. Quã hi diligentiam, Vlrice, adhibebunt, quatenus hi sibi caueant ab actiuâ, &

passi-

paſſiuâ deceptione Lutheri, Caluini, Vlrici de Neufeld, imò totius Eccleſiæ congregatæ in Concilio generali? Reſpondes tu, ac dicis, eos debere attendere fundamenta, ex quibus hoc, aut illud ſtatuitur, & poſt hanc attentionem dijudicare, quid quiſq; quid quæq; credere debeat: nimirùm, ſi damnetur ab aliquo Doctore vulgata editio Bibliorum, famulus Vlrici, eius Vxor, ſi quam habet, & ancilla eius attendere debent fundamenta, ex quibus damnatur editio vulgata, & approbatur editio Lutheri. Porrò, fundamenta hæc ſunt editiones Hæbraicæ, Græcæ, Syriacæ; ex quibus habemus tranſlationes, & editiones in Idioma Latinum, Germanicum, & in alias vulgares linguas, quas attendere debent ſinguli, & ſingulæ; & poſtmodum tuus famulus, tua vxor, eius ancilla ſeorſum inuocato Spiritu S. acceptabunt hãc, & repudiabunt illam editionem. Heus Vlrice! Expergiſcere. Dormis. Somnias. Deliras. Subſumo igitur priori

propositioni ex tua sententia hanc:

At verò illi qui docent, quemlibet, & quamlibet posse, ac debere dijudicare ex Sacro Textu lecto, vel audito, etiam totius Ecclesiæ Doctrinam de essentialibus Fdei, vtrum concordet, an discordet à Sacro Textu, necessariò deficiunt à Fide Catholicâ, & delabũtur in hæresim absurdam, pudendam, & ridiculam.

& tandē tecum, vel inuito, concludo.

Ergò Biblistæ deficiunt à Fide Catholicâ; & delabuntur in hæresim absurdam, pudendam, & ridiculam.

vel, si mauis: Dormiunt. Somniant. Delirant.

Hanc præclaram conclusionem firmare volo præclarissimâ auctoritate S. Hieronymi, quem non semel citasti, velut pronum in tuam sententiam. Hic in Epistola, quam scripsit ad Paulinũ, recitat exempla eorum, qui Orbem peragrarunt, audituri Philosophos, à quibus docerentur, & inter alia dicit. *Pythagoras Memphyticos vates, sic Plato Ægyptum*

ptum & Architam Tarentinum, eamq́ oram Italiæ, quæ quondam magna Græcia dicebatur, laboriosissimè peragrauit. Et paulò infra.
Ad Titum Liuium lacteo eloquentiæ fonte manantem, de vltimis Hispaniæ, Galliarumq́ finibus quosdam venisse nobiles legimus: & quos ad contemplationem sui Roma non traxerat, vnius hominis fama perduxit. Habuit illa ætas inauditum omnibus seculis, celebrandumq́ miraculum, vt vrbem tantam ingressi, aliud extra vrbem quærunt. Apollonius, siue ille magus (vt vulgus loquitur) siue Philosophus, vt Pythagorici tradunt, intrauit Persas, pertransiuit Caucasum, Albanos, Scytthas, Meßagetas, opulentissima Indiæ regna penetrauit: & ad extremum, latissimo Phison amne transmisso, peruenit ad Brachmanas, vt Hiarcham in throno sedentem aureo, & de Tantali fonte potantem, inter paucos discipulos de natura, de motibus syderum, ac dierum cursu audiret docentem. Inde per Elamitas, Babylonios, Chaldæos, Medos, Aßyrios, Parthos, Syros, Phœnices, Arabes, Palæstinos, reuersus Alexandriam, perrexit Æthiopiam, vt Gymnosophistas, & famosissimam Solis mensam videret in sabulo. Inuenit ille vir vbiq́ quod disceret, & semper

semper proficiens, semper se melior fieret.

Subaudit postea exempla eorum, qui magno studio, & summo labore sibi conquirebant Magistros in Sacris Literis. Demùm sententiam claudit hisce verbis:

Hæc à me perstricta sunt breuiter (neq; enim epistolaris angustia euagari longius patiebatur) vt intelligeres, te in Scripturis Sacris sine præuio, & monstrante semitam non posse ingredi.

Taceo de Grammaticis Rhetoribus, Philosophis, Geometris, Dialecticis, Musicis, Astronomis, Astrologis, Medicis, quorum scientia mortalibus vel vtilissima est, & in tres partes scinditur, τὸ δόγμα, τὴν μέθοδον, τὴν ἐμπειρίαν. Ad minores artes veniam, & quæ non tam lingua, quàm manu administrantur. Agricolæ, cæmentarij, fabri metallorum, lignorumq; cæsores, lanarij quoq; & fullones, & cæteri, qui variam supellectilem, & vilia opuscula fabricantur, absq; doctore esse non possunt quod cupiunt. Quòd medicorum est, promittunt medici: tractant fabrilia fabri. Sola Scripturarum ars est, quam sibi passim omnes vendicant. Scribimus indocti doctiq; poëmata passim. Hanc garrula anus, hanc

delirus senex, hanc sophista verbosus, hanc vniuersi præsumunt, lacerant, docent, antequam discant. Alij adducto supercilio, grandia verba trutinantes inter mulierculas de Sacris Literis philosophantur. Alij discunt, proh pudor, à fœminis, quod viros doceant: &, ne parum hoc sit, quadam facilitate verborum, imò audacia edißerunt alijs, quod ipsi non intelligunt. Taceo de mei similibus, qui si forte ad Scripturas Sanctas post seculares literas venerint, & sermone composito aures populi mulserint, quicquid dixerint, hoc legem Dei putant: nec scire dignantur quid Prophetæ, quid Apostoli senserint sed ad sensum suum incongrua aptant testimonia, quasi grande sit, & non vitiosissimum docendi genus, deprauare sententias, & ad voluntatem suam, Scripturam trahere repugnantem. Quasi non legerimus Homerocentonas, & Vergiliocentonas: ac non sic etiam Maronem sine Christo possimus dicere Christianum, quia scripserit: Iam redit & virgo, redeunt Saturnia regna, Iam noua progenies cœlo demittitur alto. Et patrem loquentem ad Filium: Nate meæ vires, mea magna potentia solus. Et post verba Saluatoris in Cruce: Talia perstabat memorans, fixusq; manebat. Puerilia sunt hæc, & circulato-

rum

rum ludo similia, docere, quod ignores: imò, vt cum stomacho loquar, ne hoc quidem scire, quod nescias. Hæc Hieronym⁹: qui, quo loco reponat singulorũ, & singularũ priuata scrutinia, satis apertè declarat; scilicet, stomachatur super huiuscemodi delirio, præsumptione, audacia, & iactantia.

CAPVT VIII.

Vlricus, & Biblistæ confundunt Fidem cum Theologiâ.

QVoniam verò in eo Tractatu, quem edidi de vestra Fidei Regula, quem uè tu confutare niteris, luculentius exaraui illa omnia, quæ tibi scriptitanti præcisius opponere possem, te, & quemcumq; alium lectorem remitto ad eum Tractatum: neq; aliud quidpiam superaddo, præter id quod subiungo.

Apud nos Catholicos, præter Fidei Symbolum, traditur adolescentibus explicatior Fidei Doctrina; quatenus quilibet, & quælibet intelligant, existere Deum Creatorem Cæli, & terræ, qui

qui nos constituit, quoad animam, immortales, & Diuinæ naturæ participes; in quem finem submisit Iesum à Nazareth, hominem assumptũ ad personalitatem Filij Dei, à quo redempti sumus, constitutâ Lege agendorum, Sacris Ritibus, & Ecclesiâ, seu Regno eius, duraturo in æternum: cui adiunxit S. Spiritum tertiam Trinitatis Personam, mansuram in æternum apud nos, atq; docturam omnem veritatem. Hæc, inquam, & alia eiusmodi traduntur Fidelibus pro mensura ætatis, & docilitatis: neq; facilè ex illis est aliquis, qui exquirat horum veritatem ex Sacris Literis; tametsi nemo omnium apud nos arceatur Decreto Ecclesiastico à tali scrutinio. Credunt autem Doctrinam hanc, vt supra innui, Deo reuelanti: quod verò eam Deus reuelauerit, habent ab Ecclesia, cui facta est Diuina Reuelatio; cui Ecclesiæ Fidem præstant, constante Deo signis, & portentis & varijs Spiritus Sancti distributionibus; quorum memoria te-

statis-

ftatiſſima etiamnum viget in Eccleſiâ Catholicâ. Vide, quæ de hoc Argumento tradidi in meo Iudicio de Catholicorum credendi Regulâ.

Hic igitur, mi Vlrice, gradum ſiſte, & attonitus excipe, quæ ſum dicturus. Si Chriſtianiſmus non eſt fabella, adornata in ſpeciem veritatis, ſubſunt argumenta, quibus homo prudens, ſiue Fidelis, ſiue infidelis, poſſit ſingulis momentis, ſi libuerit, recogitare viua illa, ac ſolidiſſima Argumenta, quæ ſibi inferant cum plenâ certitudine, exiſtere Deum, qui per Ieſum à Nazareth, perq; eius Eccleſiam vrgeat genus humanum ad Fidem, ad gratiam, ad vitam æternam: quibus Argumentis acquiratur auctoritas Deo, Chriſto, Scriptoribus Canonicis, & Eccleſiæ eius: quandoquidem impoſſibile eſt homini ſanæ mentis, credere, ſine congruis Argumentis, Diuinam Exiſtentiam, Chriſti Prærogatiuam, Sacri Textus veritatem, & Eccleſiæ infallibile Miniſterium à Deo inſtitutum.

Fate-

Fateôr, esse Christianorum plerosq;, qui credunt leuiter, non quia desint solidiora Argumenta, sed quia ignorant. Ego verò in meo Tractatu nō perquiro Argumenta specialia, quibus quisque Christianorum commouetur ad Fidem, sed solidissima illa, data à Diuinâ Prouidentiâ nunquam deficiente. Nota ergò, Vlrice, quod Iudicium Fidei Christianæ hisce Argumentis nititur ac fundatur: verùm inter Fidem, & Theologiā intercurrit aliquid grande, quod tamen vos confunditis cum Fide. Mecum secede ab hac ætate ad tempora Arij Præsbyteri Alexandrini; & perpende Quæstionem motam, de Diuinitate Christi, ex Sacris Literis. Instabat Arius.

Christus ignorabat diem extremi Iudicij, seq; dicebat minorem Patre.

Ergò Christus non est Deus.

Quæso te, mi Vlrice, dic mihi; potuitne Quæstio hæc immediatè definiri ex illis Argumentis, ex quibus constat de Dei Existentiâ, de Scriptoribus Canoni-

nonicis & de Christi Auctoritate? Non puto. Insana foret hæc Consequentia: Filij Israël transierunt sicco vestigio Mare rubrum. Ergò Christus est consubstantialis Patri: licet transitus ille fuerit Argumentum Diuinæ Existentiæ, & Legis à Deo latæ. Sed Fides, motâ tam graui quæstione, aduocauit in subsidium Theologiam; nimirùm, oportuit Patres Synodi Nicænæ expendere Sacrum Textum, & eos Patrum, qui quidem ediderunt Commentaria in Libros Sacros, & scripserant de Primæuâ Doctrinâ Fidei: & prætereà perpendebant Physicam, atq; Metaphysicam; quatenus occurrerent Argumẽtis, inde adductis contra Christi Diuinitatem.

Nos ergò Catholici non oneramus quemlibet studio Theologico, Artiumq; liberalium, sine quibus non cõsistit scrutiniũ Doctrinæ Fidei ex Sacro Textu. Vos verò confunditis Fidẽ cum Theologiâ, & penè neglectis Fidei fundamentis, inde abreptos Fide-

les transmittitis ad Theologiam, cum ea absurditatum sequelâ, quam sæpius exprobraui.

CAPVT IX.

Biblistarum Regula credendi est imaginaria, nullibi practicata.

HOc ergò priuatum cuiusq; scrutinium ex Sacro Textu mihi videtur positum tam longè à ratione, vt etiam mihi foret difficillimum credere, negotium Fidei eo ordine cogitari apud vos, tametsi contrarium mihi cõpertum non esset ex multorum annorum consuetudine, imò & necessitudine cum Biblistis: Sed factum, alioquin inopinabile, excuso eximiã populorũ vestratium simplicitatẽ. Si seria quæstio risum admitteret, elicerem à quocumq;, qui perlegat, quod subijcio. Ego sedens, sæpius excogito Arces, Ciuitates, Prouincias, & Regna; & frequens ipsum Mundum reformare aggredior; imò cogitatione mea reformo. Eiusmodi passim solemus commi-

nisci

nifci per otium. At verò, mi Vlrice, quid ſentires de Valeriano, ſi is eò vſq; euaneſceret in ſuis cogitationibus, vt etiam certo certius crederet, ſe inhabitare excogitatas arces, excurrere eiuſmodi Ciuitates, Prouincias, ac Regna; imò & latè imperitare in Orbe à ſe reformato? Incidi ſemel in hominẽ corruptæ imaginationis, qui id omne verum credebat, quod cogitabat. Sedebat mecum Pragæ, & cùm cogitaret Viennam, exiſtimabat, ſe eſſe Viennæ. Mox verò, cùm ſibi incidiſſet, eſſe nonnullos, qui ſe quærerent ad necem, ſtatim fugâ inde ſe proripiebat. Erat hominis illius conditio miſerrima. fuiſſet tolerabilior, ſi iucunda duntaxat ſibi incidiſſent. Miraris, Vlrice, hominis illius caput conturbatum, & mentem ſuâ ſede euerſam. Quid ſi tibi in ſimile exemplum obijciam magnã Europæ partem? Vos, inquam, Bibliſtas? Vos inquam, demptis duntaxat nonnullis eruditioribus: ſimili enim morbo laboratis omnes quotquot e-
ſtis:

ſtis. Excogitaſtis Regulã Fidei veſtræ, nimirùm, purum putum, atq; ſincerum Verbum Dei ſcriptum; ex quo veſtrarum Eccleſiarum Paſtores, atque Doctores, nec non & reliqui à Chriſto nato Eccleſiaſtici Patres, ſeu Scriptores, promunt Fidei Symbolum, & Doctrinam Chriſtianam, ad vulgi ſalutem, & captum præmanſam, & accomodatã. Verùm, quandoquidẽ hi omnes à vobis creduntur obnoxij actiuæ, & paſſiuæ deceptioni, vnuſquiſq;, & vnaquæque de populo ſuæ Fidei cauet à deceptione, per propriũ, priuatũq; ſcrutinium Sacri Textus: Scilicet, nemo omnium admittit, quæ Vlricus de Neufeld, quæ Lutherus, quæ Caluinus, quæ Auguſtinus, quæ Hieronymus, quæ Nicænum Concilium, quæ alij, cuiuſcũq; conditionis extiterint, depromũt Orbi Chriſtiano credenda ex Sacro Textu; ſed quilibet, & quælibet hæc ſubijcit priuato examini ex Sacro Codice, & tùm demùm quiſq; credit, quod ſibi videtur congruere cũ Verbo Dei ſcripto,

pto, iuxta illud: *Omnia probate, quod bonum est, tenete*. Hæc est norma excogitata, secundum quam reformanda sit vniuersa Ecclesia, à secundo sæculo post natum Christum sensim corrupta, ac deprauata: cui facinori vos Ministri vestrarum Ecclesiarum desudastis conatu immani; & demùm obtinuistis, quod populi innumeri, recogitantes hanc vestram excogitatam reformationem, putant singuli, & singulæ, sese, eatenus, vt præfertur, priuato Sacri Textus scrutinio, examinasse vestram, & nostram de Fide Doctrinam; quorum alij concesserunt in Sectam Lutheranorum: alij in Caluinistarum: alij in alias, prout subinde oriuntur, & occidunt; nec tamen (nonnullis ex vobis Doctoribus exceptis) vllus est, aut vlla, quæ id præstiterit, quod putant, seu cogitant, se præstitisse; sed ducuntur auctoritate eorum, qui sese asserunt erroribus obnoxios, quatenus minus impudenter insimulare possint eiusmodi deceptionem Patres, Papas, atq;

Con-

Concilia. v. g. Quis ille, vel quæ illa, ex data quacumque Ciuitate, vel Oppido, sibi suspectam Nicænæ Synodi sententiam contra Arium, vel Tridentinæ contra Lutherum, & Caluinum, examinauit ex Sacro Textu; & postmodum id credidit, quod sibi visum est congruere Sacro Codici? Heu, quàm necessariò intuli, vestras Ecclesias esse fanaticorum, & sciolorum cætus! Vno verbo claudo meam sententiam de tua responsione ad primum meum argumentum. Vestra doctrina, cum vestris Ecclesijs referunt somnium, vel, si mauis, Rempublicam excogitatam, quam quisq;, per errorem credit realiter existentem.

LIBER

LIBER SECVNDVS.

De Catholicorum credendi Regulâ.

CAPVT I.

Auctoritas Moysis, & Prophetarum, Christi, & Apostolorum, & Canonicorum Scriptorum, non est certa, nobis, nisi quatenus confirmatur actionibus, quas solus Deus efficere possit.

PRæmitto, Vlrice, synopsin eorum, quæ ego tradidi libris octo de illa norma fidei, Secundum quam nos Catholici credimus; quatenus tu, & illi, qui legerint hunc meum Tractatum, intelligant clarius; quo fructu veritatis Echo tua retorqueat absurditates in Catholicā credendi regulā, quas ego intulerā vestris priuatis scrutinijs ex sacro textu.

Huma-

Humanus intellectus cognoſcit immediatè plurima entia ſingularia, ſeu hic & nunc exiſtentia, ſcilicet, abſq; vlla ratiocinatione. Videt Aſtra, terram, aquas, metalla, lapides, plantas, animalia, homines ſingulares hic & nunc exiſtentes. De his, velut de ſubiectis per ſe notis, affirmat pleraq;, aut negat immediatè, ſeu abſq; vlla ratiocinatione, integrâ certitudine. Sol lucet. Luna eſt corniculata. Terra eſt ſicca. Aqua eſt humida. Piſces natant. Aues volant. Bruta gradiuntur. Angues ſerpunt. Homines rident.

Cùm verò de entibus hic & nunc exiſtentibus, iudicamus, illa, quæ excedunt rei exiſtentiam, puto cauſas, cur Sol luceat, cur Luna ſit corniculata, conſtituimus veritates aliquas, quarum certitudo non dependeat à rerũ exiſtentiâ. v. g.

Omne, quod mouetur, ab alio mouetur.

eſt propoſitio vera, tametſi nil entium exiſteret, quod moueatur. Sanè, pro-

positiones de entibus concretis debent esse veræ: at quæ formantur de entibus abstractis, non sufficit esse veras, sed debent esse necessariæ, scilicet, æternæ, & incommutabiles; quatenus iudicium, quod fit de natura entium concretorum, sub radio veritatum abstractarum, sit certum, & infallibile. Nimirum, visâ Luna, debet mihi certò constare, quod moueatur; ita vt hæc propositio.

Luna mouetur,

sit vera. Hanc expendo ad radium veritatis abstractæ, hoc modo:

Luna mouetur.

At id, quod mouetur, necessariò ab alio mouetur.

Ergò Luna ab alio mouetur.

Porrò hæc propositio: [Luna ab alio mouetur] homini non est per se nota: quapropter impossibile est, illam iudicet veram sine præfato ratiocinio. Hæ duæ propositiones:

Symbolum fidei Christianæ est à Deo reuelatum.

Sym-

Symbolũ fidei Christianæ est verũ. non sunt per se notæ; ita vt impossibile sit humano intellectui iudicare, propositiones illas esse veras, sine argumento illatiuo quæsitæ veritatis: quod argumentum necessariò requirit aliquas propositiones concretas, & alias abstractas æternas, & incommutabiles, ex quibus inferatur quæsita veritas. v. g. mihi certò constat, hanc propositionem concretam esse veram:

Romanus Pontifex proponit Orbi, hanc doctrinam esse à Deo reuelatam. Sed Romanum Pontificem in ea propositione nec decipi, nec decipere, non est mihi per se notum: quapropter quæstio hæc soluenda est per aliquod argumentum, deductum ex aliqua propositione æternæ, & incommutabilis veritatis.

Vbi verò me accingo huic ratiocinio, animaduerto, supponi in præfatâ propositione concretâ, existere Deũ, de quo affirmatur, quod reuelauerit Symbolũ fidei. Porrò hæc propositio. Deus existit,

tametsi meo iudicio, sit per se noscibilis, tamen paucissimis est per se nota: imò (quantum constat ex veritate historicâ) genus humanum, argumentando ab existentia rerum naturalium, intulit quidem existere Deũ; sed, vt sic loquar, Aristotelicum, nimirùm, qui sit causa finalis Mundi increati, & existentis ab æterno; non autem efficiens, & libera, quæ inquirentibus se remuneratrix sit. Constantia enim motuum naturalium, etiam à peritissimis Philosophorum attributa est æterno Motori, velut mouenti ex necessitate propriæ naturæ. Hinc conijcere licet, consultissimũ fuisse Deo, quærenti sibi fidem ab hominibus, edere actiones aliquas præter, contra, vel supra naturam vniuersalem, in testimonium doctrinæ, quæ proponitur, vt est à se reuelata: quibus actionibus & proderet suã existentiã, & confirmaret auctoritatẽ eorũ, qui doctrinã, vt à se reuelatã, orbi proponunt, & explicant.

Quoniam verò memoria eiusmodi actio-

actionum diuinarum transmittitur ad posteros traditione historicâ, relabitur fides Christiana, diuinitus, vti præfertur, cõfirmata, in humanam auctoritatem, nunquam non obnoxiam actiuæ, & passiuæ deceptioni; ac proinde videtur, vel doctrinam, quæ proponitur & explicatur, vt diuinitus reuelata, destitui certitudine, vel Deum debuisse continuare quouis tempore, seu repetere actiones, quæ sint supra, vel contra naturam vniuersalem, in testimonium doctrinæ, quæ proponitur, & explicatur, vt est à se reuelata. Verùm, mihi summam hanc difficultatem sedulò perpendenti, cũ primis visum est, extare humanas traditiones historicas supra omnem dubitationem, & falsitatis formidinem: v. g. ego, cum integerrimâ certitudine, iudicio existere Hispaniam, quam non vidi; & extitisse Iulium Cæsarem: & eos, qui de eiusmodi veritatibus dubitant, censeo, si non fatuos, stolidos, vel certè, qui confundunt certitudinem cum

claritate, & euidentia cognitionis. De quo argumento conſcribã breui Tractatum ſub hoc titulo: [Regula argumẽtandi ex humano teſtimonio] iuxta quam poſſibile ſit, propoſitam quãcumq; traditionem hiſtoricam expendere, an ea ſit dubia, an probabilis tantum, an certa.

Deprehendo autem, & animaduerto, humanam traditionem de præteritis illis diuiniſſimis actionibus, eſſe eò vſq; certiſſimam, vt abundè ſufficiat vindicandæ fidei Chriſtianæ ab omni formidine falſitatis. Nam, tametſi ex articulis fidei plures ſint ſupra captum naturalẽ humanæ mẽtis, ſi de illis quæramus ſcientiã cum euidentia, tamen.

Deum exiſtere.

Deum non mentiri,

Deum conſeruare in Eccleſia fidem illibatam.

ſunt propoſitiones, quæ non ſic ſuperant capacitatem mentis humanæ, vt eam v.g. excedit Trinitas Perſonarum in vnitate eſſentiæ: quapropter, ſi de illis

Iis tribus propositionibus certo certius constiterit esse veras, iudicamus esse veros etiam illos articulos fidei, qui superant intellectum nostrũ: cùm sit impossibile humanæ menti iudicare, magistrum non errare, & simul dubitare de illius doctrinâ. Quapropter in hoc Tractatu suppono præfatũ Tractatũ à me edendũ de rectâ ratione argumentãdi ex humano testimonio.

Itaq; nobis, hac postrema mundi ætate viuentibus, constat historicâ traditione, Deum tẽpore Moysis, & Prophetarum, edidisse actiones Diuinas supra, & contra naturam vniuersalem; quibus & suam prodidit existentiã, & firmauit auctoritatem Moysis, Prophetarum, Scriptorum, & Librorum canonicorum veteris Testamenti.

Ante annos 1606. circiter edidit alias actiones, contra, & supra naturam vniuersalem; quibus & luculentius suam prodidit existentiam, & confirmauit auctoritatem Christi, Apostolorũ, & Euangelistarũ eius; vnde habemus

canonicos Libros noui fœderis. Perſonas has, hoſq; libros inſuper authorizauit teſtimonio Librorũ veteris Teſtamenti: quod teſtimonium ſuſpectũ, imò nullum foret, ſi Libri hi, & eorum Scriptores non fuiſſent à Deo confirmati actionibus Diuinioribus, patratis tempore Moyſis, & Prophetarum.

Quapropter, ſtatuo auctoritatem Librorum vtriuſq; Fœderis ſuſpectam, & dubiam, ſi non referatur in illas Diuiniſſimas actiones, quarum extat memoria in illis ipſis Libris canonicis: quæ memoria, ſeu hiſtorica traditio ſuſpecta, & dubia foret, ſecundum à me traditam regulam argumentandi ex humano teſtimonio, ſi aliunde non ſibi adſciſceret argumenta, quæ abſoluant traditionem hiſtoricam ab omni ſuſpicione deceptionis.

Habent ergò Sacræ Literæ auctoritatem ſummam, atque incomparabilem, & planè Diuinam: quandoquidẽ ea reſoluitur in actiones, quæ fuerint, ſupra, & contra vniuerſalem naturam

editæ

editæ in teſtimonium & Diuinæ exiſtentiæ, & doctrinæ, quæ continetur in Libris canonicis.

CAPVT II.

Sacer textus non eſt illatiuus, ſed ſimpliciter ſignificatiuus doctrinæ, quæ aliunde ſit diuinitus confirmata.

AT verò auctoritas hæc Sacrarum Literarum mihi videtur alter nodus Gordius, qui tamen ſoluendus ſit, non gladio, ſed ſubtili diſtinctione implexarũ diuerſarum auctoritatum; quæ implexio eſt quibuſdam penè inextricabilis; vnde emergunt errores intolerabiles in negotio fidei Chriſtianæ.

Diſtinguo Diuinam exiſtentiam ab actuali reuelatione doctrinæ Chriſtianæ, facta à Deo exiſtente.

Diſtinguo hanc actualem Diuinam reuelationem à veritate reali doctrinæ reuelatæ.

Diſtinguo doctrinam reuelatam veram, & infallibilẽ à Sacris Libris cõtinentibus per modũ ſigni doctrinã illã.

Deum existere:

Deum reuelare doctrinã Christianã:

Doctrinam Christianam eatenus à Deo reuelatam, esse veram:

Doctrinam hanc contineri in Sacris Literis velut in signo:

sunt quatuor propositiones toto cœlo inuicem distinctæ, quarũ nulla est per se nota, sed singulæ sũt necessariò probãdæ seorsũ suis proprijs argumentis.

Quæ tamen resoluuntur in sæpe fatas Diuinas actiones supernaturales, quarum traditio à præteritis illis mundi ætatibus ad nos vsq;, tametsi sit humana, est tamen certa, & infallibilis. Et licet ipsi Sacri Libri adhibeantur in hac ratiocinatione, velut argumẽta ab auctoritate historica humanâ, non tamen per se sufficiunt ad submouendam omnem suspicionem actiuæ, & passiuæ deceptionis ab humana traditione historica præteritarum illarum actionũ supernaturalium. Sacræ enim Literæ, tametsi habeant auctoritatem Diuinã, habent tamen & humanam, possuntq;

adhi-

adhiberi etiam ab Infideli ad faciendã fidem humanam. Diuinam verò auctoritatẽ non habent apud nos, nisi auctoritate historicâ humanâ nobis certo certius constet, Deũ edidisse actiones illas supernaturales in testimoniũ & suæ existentiæ, & doctrinæ etiam historicæ, quæ in sacris libris continetur.

Equidem scio, potuisse Deum vni indiuiduo sacro codici tribuere immediatè auctoritatem supra omnem dubitationem, aut suspicionem: puta, si cunctis cernentibus, fuisset demissus Cælo, & ad eius contactum resurgerent mortui; ad quem sacrum codicẽ indiuiduum, atq; signatum possent prouocare illi, qui disputant de libris sacris, de lectione correctâ, de congruâ translatione in alia idiomata. Verùm, id non præstitit Deus, sed auctoritate hominum discreti sunt libri canonici ab apocryphis, & disputantur variæ lectiones eorundẽ textuum; & translationes in diuersa idiomata; ita vt constitutio canonis sacrorum li-

brorum, emendata eorundem lectiõ, & congruæ translationes, dependeant ab auctoritate humana, quæ semper suspecta est actiuæ & passiuæ deceptionis, si Deus in eius testimonium non edat actiones supernaturales, quorum memoria ad nos peruenerit traditione certâ, licet humanâ.

Porrò libri nõ solùm sacri, sed & alij omnes, non habent aliã, vt sic loquar, essentiam, quám quòd sint signa earũ rerũ, quas scriptores significare voluerunt ijs, qui lecturi essent libros à se conscriptos. Res verò significatæ non spectant ad essentiam librorum, imò neq; cognoscibilitas rerum, significatarum ab aliquo libro, semper dependet tota à libro supposito; sed eædem res, quæ ab vno libro significantur, sunt cognoscibiles aliunde: v.g. textus Aristotelis est significatiuus naturæ corporum naturalium, quæ tamen ex alijs libris & ex actuali rerum existentia sunt cognoscibiles.

Itaq; sacri libri sunt signa, que imme-

mediatè significant mentem, & alios animi affectus scriptorũ canonicorũ, respectiuè ad res ab illis significatas. Mens verò, canonici scriptoris supponitur commensurata menti, & voluntati diuinæ, cui non potest subesse falsum, aut aliquid non bonum. Hæc ergò significatio sic explicata, est propria actio sacri textus, quæ non est vllo modo illatiua, sed positiua earum propositionum, quæ aliunde quàm à sacro textu suis argumentis inferri possunt; ita vt sacri libri contineant duntaxat conclusiones illatas aliunde, quàm à Sacro Textu: v. g. quod Deus existat: quod creauerit cælum, & terram: quod miserit IESVM à Nazareth Redemptorem humani generis, sunt conclusiones non illatæ à sacro textu; sed significatæ duntaxat: illatæ tamen ab illis diuinis actionib⁹, quibus Deus contestatus est suam existentiam, & infallibilem auctoritatem eorum, qui secreuerunt libros canonicos ab apocryphis, lectionem corruptam ab e-

mendata, translationem congruam ab incongruâ, & explicationem verã à falsâ.

Potest quidem textus cuiusq; Scriptoris continere argumenta illatiua propositionum, quæ significantur per textum; cuiusmodi sunt libri Philosophorum: quæ argumenta vim illatiuã ducunt vel ab existentia præsenti, aut præterita alicuius rei, vel à ratione aliqua æternâ, & incommutabili. Libri Philosophorum vtrumq; complectuntur; v.g. remittunt Lectorem ad Lunam sphæricè illuminatam, velut ad rem nunc existentem. Deinde adhibent hanc rationem æternam, & incommutabilem.

Corpus, quod illuminatur sphæricè, necessariò est sphæricum. Hinc concludunt. Ergo Luna est corpus sphæricum.

At sacri libri vix aliquam propositionem inferunt adductâ ratione æternâ & incommutabili, cùm fidem adstruant ab auctoritate: commemorant

rant

rant quidem actiones Dei supernaturales, editas in testimonium doctrinæ, quæ continetur in textu; verùm, ea cōmemoratio est aliquod argumentum ab auctoritate historica, sed eiusmodi quod nihil certi inferat, si non accedant alia quam plurima, planè seposita ab essentiâ sacri textus. Hisce verò declaratum sit, quo sensu dicam, sacrum textum de se non esse illatiuum, sed propositiuū duntaxat doctrinæ à nobis credendæ, vt à Deo reuelatæ.

Huic positioni non obstat, quòd v. g. ex diuersis textibus sacrorum librorum argumentamur, bona opera esse necessaria ad salutem: nam eiusmodi argumentatio est quidem cum illatione, non tamen infertur, bona opera esse necessaria ad salutem; sed concluditur, sacros libros significare, quod bona opera sint necessaria ad salutem. Porrò, tantùm interest inter significare, & esse, quantum differt v. g. ipsum significare, quòd Deus Mundum creauerit, ab ipso actiuo creare ipsius Mūdi.

di. Si ergò seponamus à sacris libris omnia, quæ illis extranea sunt, nihil aliud sunt ij libri, quàm significatiua rerum plurimarum, non autem illatiua veritatis rerum significatarum. Sūt inquam, significatiua earum rerum, quas scriptores Canonici significare voluerunt: quòd verò significationes hæ sint veræ, nullum sufficiens potest duci argumentum ab ipsa mera, ac solitaria significatione sacri textus, quæ significatio est tota, vnicaq; essentia cuiuscumq; libri, seu alterius signi, instituti ad placitum significantis.

Id omne meliusculè declaro hoc modo. Si in Bibliotheca Vaticana reperiatur codex, qui summam vetustatem referat, cuiusue nullum aliud exemplar extet in Orbe terrarum, contineatq; v. g. peculiarem aliquam historiam, vt quæ contigerit Circa Annum Domini. 500. Constantinopoli; haud dubium, quin auctoritas loci, in quo reseruatus est ille codex, & conspicuæ nota antiquitatis paginarum,

illarum, ſint argumenta, quibus probabiliter infertur, hiſtoriam illam habere aliquid veritatis. Verùm, lector huius libri, ob hæc argumenta, non poteſt iudicare de hiſtoriæ veritate cùm certitudine: quapropter expendit perſonas inductas, facta commemorata, locum, tempus, & alias eiuſmodi circumſtantias; quę omnia confert cum alijs traditionibus Hiſtoricis, de quarum veritate certius cõſtat: & inde cenſet, quam fidem mereatur repertus codex. Porrò, dignitas Bibliothecæ Vaticanæ, & reliqua præfata argumenta ſunt extrinſeca illi codici, cuius tota vnicaq́; eſſentia eſt ſignificare, non autem inferre veritatem rerum ſignificatarum.

Quod ſi congruis argumentis illatum ſit, datum codicem, puta ſacros libros, continere veritatem diuinitus reuelatam, tũ primùm videtur ſacer codex habere vim argumenti, præter ſignificationem, quæ eſt tota, vnicaq́; eius eſſentia; licet meo iudicio, neq́; in

in hoc casu vllum scriptum dici possit illatiuum. Verùm, mihi tempero ab istis subtilitatibus; sufficitq; scijsse, hanc vim illatiuam, quæ in eo casu tribuitur sacro codici, sibi obuenire ab illis diuinis actionibus, quibus Deus it contestatum infallibilé auctoritatem secernentium libros sacros ab apocryphis, & factitantium alia sæpe fata, quæ huc spectant.

CAPVT III.

Auctoritas Ecclesiæ proponentis, & declarantis doctrinam reuelatam inter diffidentes Christianos, est diuina; quatenus à Deo confirmatur actionibus, quas solus Deus efficere potest.

ITaq; si Christiana fides logicè resoluenda sit in sua prima principia, hęc distinguo. Horum aliqua sunt propositiones per se notæ sensibus nostris: reliqua sunt propositiones æternæ, & incom-

incommutabilis veritatis. Hæ sunt illæ ipsæ, quas consulimus, dum philosophamur circa entia naturalia. Illæ sunt præsentia sensibilia, quæ naturaliter illatiua sint præteritarum actionum contingentium; ex quarum positione infertur diuina existentia, & infallibilitas auctoritatis eorum hominum, qui hac ipsa die, vt sic loquar, mundo proponunt, & explicant sacram doctrinam, vt diuinitus reuelatam.

Si Deus secerneret libros sacros ab apocryphis, lectiones corruptas ab emendatis, translationes incongruas à congruis, explicationes veras à falsis, vniuersamq́; doctrinam à se reuelatam hominibus proponeret per Angelos nobis conspicuos, horum auctoritas apud nos confirmari deberet sæpe factis actionibus diuinis: at hæc non præstat per Angelos; sed per homines sibi succedentes in ministerio Ecclesiastico: quapropter vniuersa Hierarchia Ecclesiastica dependet ab illis actionibus

nibus diuinis, quibus Deus confirmet eiusmodi ministrorum Ecclesiastico-rum auctoritatem, velut infallibilem; vnde nobis constet, sacros libros continere doctrinam à Deo reuelatam: scilicet, Ecclesiasticorum auctoritas apud populum Christianum non confert diuinam reuelationem Scriptoribus Canonicis, sed Deus immediatè: quod verò facta fuerit hæc reuelatio, habemus ab auctoritate Ecclesiastica, vt præfertur, diuinitus confirmata.

Itaq; contestandæ diuinæ existentiæ, & confirmandæ auctoritati Moysis, & Prophetarum, IESV CHRISTI, & Apostolorum, sufficiunt actiones, editæ à Deo supra, & contra naturam vniuersalem per Moysen, & Christum, perq; Prophetas, & Apostolos, primosq; Christianorum: at componendis diffidijs inter ipsos Christianos, ob disputatam sacram doctrinam, cum non sufficiat prouocatio vt inq; facta ad sacrum textum; Deus motas quæstiones dirimit de Cœlo diuinioribus

actio-

actionibus ſupra, & contra naturam, in teſtimonium diſputatæ veritatis inter ipſos Chriſtianos: quod cum fieri poſſit, vel exornando ſæpefatis actionibus illum cœtum Chriſtianorum, qui profitetur doctrinam fidei veram; vel immediatè authorizando eos, qui miniſtri ſunt verbi Dei proponendi, & explicandi, placuit Deo proſequi peculiari prouidentia diuinioribuſq; actionibus eum cætum ex Chriſtianis, apud quem conſeruat fidem planè incorruptam: quod ipſe Chriſtus mox aſcenſurus à nobis in Cœlum ſic fore, vt præfertur, teſtatus eſt hiſce verbis: Marc: vlt: *Signa autem eos qui crediderint, hæc ſequentur, &c.* non dixit, eos qui veram doctrinam propoſuerint, hæc ſigna patraturos, nam licet hoc ſæpius contingat, non tamen ſemper: at verò eum credentium cætũ, apud quem Deus ſeruat doctrinam fidei incorruptam, ſemper exornat diuinis illis actionibus; ita vt ſolus, ex omnib9 Chriſtianorum cætibus diſſidendibus in fide,

de, ſolus, inquam, eatenus fulgeat, & clareſcat in Orbe.

Quamobrem, doctrina fidei, tametſi, quoad præcipuas ſui partes, ſit Phyſica, & confirmabilis per alias facultates humanas, tamen immediatè non infertur vllo argumento ducto à ratione; ſed duntaxat ab auctoritate diuina, quam diſtinguo. Quædam auctoritas eſt diuina, ratione perſonæ diuinæ, teſtificantis de veritate fidei; cuiuſmodi ſunt auctoritas Dei reuelantis in veteri teſtamento, & IESV Chriſti in nouo: quædam eſt humana, ratione perſonæ teſtificantis; at hæc ipſa eſt diuina, ratione actionum diuinarum, quibus Deus it confirmatum auctoritatem illam humanam; cuiuſmodi eſt auctoritas Moyſis, & Prophetarum, Apoſtolorum, & Euangeliſtarum, & illius cætus Chriſtianorum, apud quem conſeruat doctrinam fidei emaculatam ab omni errore: non tamen ſine differentia, cuiuſ explicationem hoc loco prætermitto.

Auctoritas illa Dei, & IESV Christi infert immediate veritatem sacræ doctrinæ. Vni enim Deo reuelanti credimus, symbolum fidei esse verum. Auctoritas verò Moysis, Prophetarum, Apostolorum, Euangelistarum, & veræ Ecclesiæ Dei, non infert nobis veritatem fidei, sed veritatem reuelationis factæ à Deo: isti enim non testantur, symbolum fidei esse verũ, sed esse reuelatum à Deo.

Porrò quemadmodum ratio est regula sciendi, & probabiliter opinandi, sic auctoritas testantium de aliqua veritate est regula credendi. Auctoritas verò est certa notitia, suis rationibus illata, quod is, qui testatur, nec decipit, nec decipiatur in suo testimonio. Quapropter auctoritatem Dei reuelantis dixi in meo Tractatu, esse Diuinã regulam credendi: auctoritatem verò Ecclesiæ proponentis, & explicantis sacram doctrinam, dixi Ecclesiasticã credendi regulã; ita vt illi, qui inquirunt veritatẽ symboli doctrinæ Christianæ,

ſtianæ, tàm ſint certi de illius veritate, quàm ſunt certi, quod Deus in ſua teſtatione neq; decipiat neq; decipiatur. Illi autem, qui diſcernere ſatagunt doctrinam à Deo reuelatam à non reuelata, explicationemq; eius veram à falſa, ſi ſequantur regulam Eccleſiaſticam, tàm ſunt certi de vera reuelatione, & explicatione, quàm ſunt certi, Eccleſiam illam nec decipi, nec decipere in profeſſione veræ fidei: quam certitudinem deriuant ex actionibus diuinis, quibus Deus ſecernit veram à falſa Eccleſia; ita vt vtrobiq; fides reſoluatur in Deum teſtificantem, quæ teſtificatio, cùm ſit præterita, non cognoſcitur à nobis, niſi ex humano teſtimonio hiſtorico; quod tandem reſoluitur in illa argumenta antiquitatis, quæ nobis ſunt ſenſibilia; ex quibus ſub radio propoſitionum æternæ: & incommutabilis veritatis, habemus certiſſimam cognitionem præteritarum actionum diuinarum, quibus Deus ſe prodidit exiſtentem, & actorem legis, & do-

& doctrinæ Christianæ, v.g., quod Deus per Moysen eduxerit Ierusalem de Egypto ad possidendam terram, eidē promissam, in brachio forti, in signis & portentis: quod Deus per IESVM à Nazareth constituerit primordia Ecclesiæ Christianæ, sanctitate, prædicatione, ac miraculis ipsius Christi: quod Deus pusillum, ac primitiuum gregem Christianorum diduxerit per vniuersum Orbem, pressum persecutione annorum trecentorum, exornatumq; miraculis & vitæ innocentiâ.

Quod si quis obijciat, hac ratione fidem esse pendulam ab humano discursu. Id ego lubens admitto; & dico, non esse homini vllam illatam veritatem certam, quæ non resoluatur in sensum, & in propositiones æternæ, & incommutabilis veritatis: quibus sublatis ab homine, is degeneraret in brutum: addo, quod nihil sit diuinius in operibus Dei, Luce mentium, inditâ intellectui creato, sine qua nec lumen gratiæ, nec lumen gloriæ subsisteret.

CAP.

CAPVT QVARTVM.

Auctoritas Ecclesiæ proponentis & declarantis Sacram doctrinam, nullâ actione diuinâ supernaturali certius confirmatur, quàm regeneratione illatâ ex vitæ sanctitate, & veris miraculis.

CVm ergò Christiani in credẽdo dirigant intellectum secundũ regulã tàm Diuinam, quàm Ecclesiasticam: hac nostra ætate nullum est dissidium inter nos, quod concernat Diuinam credendi regulam. Nemo omnium Christianorum est, qui non credat IESV Christo. Neq; vlla suboritur cõtrouersia, quoad illam partẽ Ecclesiasticæ regulæ credendi, quæ complectitur homines illos, qui fuere canonici scriptores, puta Moysen, Prophetas, Euangelistas, & alios nonnullos. Sepono disputationẽ de nonnullis libris, an sint canonici, vel apocryphi.

Quæstio, quæ nunc acerimè disputatur,

tatur, eſt de illa parte regulæ Eccleſia-
ſticæ,quæ complectitur veram Eccleſi-
am, vt ſecernitur à quāplurimis Chri-
ſtianorū Cœtibus,mētientibus Eccle-
ſiam Chriſti. Diſputamus autē cū Lu-
theranis, & Caluiniſtis ſupra integrū
ſæculum:&,tametſi alicubi decreuerit
illorum numerus,auctoritate Principū
Catholicorū,& energiâ Catholicæ ve-
ritatis; tamen exiſtimo, motas quæſti-
ones facilius à nobis iri ſolutum, ſi ar-
gumentemur à diuinioribus illis actio-
nibus,quibus Deus ſecernit ſuā Eccle-
ſiam ab erroneis Chriſtianorū Sectis,
quàm ſi argumēta ducamus ex Sacro
textu, Patribus &c. ſiquidem ex hiſce
fontibus Hæretici potiſſimè depro-
munt ſua falſa dogmata.

Et licet ego mediter editionem
Theologiæ, in qua hæc, & alia eiuſ-
modi exaranda ſunt luculentius; edidi
tamen, prouocatus, meum Tractatū
de Catholicorum credendi regula, in
quo indicaui vnā Notam veræ Eccle-
ſiæ, potiſſimam tamen ex omnibus, in

quàm intendant illi, qui secernere volunt veram Ecclesiam à falsis Christianorum Sectis. Nimirùm censeo, secundum omnem Christianorum sententiam, fructum veræ fidei esse Regenerationem hominis peccatoris in Filium Dei, qui scilicet peccatis mortuus, adhuc viuens in carne mortali, viuat Deo, iuxta normam Euangelij, & exempla Christi Seruatoris nostri. Cùm enim sine fide impossibile sit eatenus placere Deo, impossibile est, hominem eatenus regenerari sine vera fide. *Non enim potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere. Neque licet colligere de tribulis ficus, aut de spinis vuas.* Non potest aliquis cætus Christianorum, qui profitetur fidem corruptam, ex vi fidei huiuscemodi, regenerare peccatores in filios Dei: neq; cætus ille, apud quem seruatur fides incorrupta, potest non generare plerosq; peccatores in Dei filios.

Verùm, opus Regenerationis istiusmodi,

modi, licet sit diuinius omni operati-
one, quàm Deus perficiat in sua crea-
tura, quoduè consequenter luculenti-
us prodat Diuinam Existentiam, &
stabiliat Ecclesiæ auctoritatem; tamē
reconditum est in imo pectore, & in
profundiore animo ipsius Regenerati:
quapropter eos duntaxat Regenera-
torum produco in hanc Scænam, qui
sint clari & vitæ sanctitate, & miracu-
lis: scilicet, quod præter vitæ conspi-
cuam Sanctimoniam, Deus edat ple-
rasq; actiones præter, contra, vel supra
naturam vniuersalem, quæ trahi pos-
sint in testimonium peractæ Regene-
rationis; ita vt ex solis miraculis non
possit inferri Regeneratio peracta: si-
quidem & homines Deo exosi possint
esse verorum miraculorum auctores:
imò nec externa vlla vitæ sanctimonia
sufficienter id intulerit, cui tamen, si
accedant sæpefata miracula, seu actio-
nes Diuinæ editæ præter, supra, & con-
tra vniuersam naturam, sufficientissi-
mè probatur Regeneratio peracta: nō

enim aliunde, quàm hinc conſtat Ecclesiæ vniuerſali, quod Moyſes, Prophetæ, Apoſtoli, & Euangeliſtæ, & alij innumeri, quos vniuerſalis Eccleſia veneratur, regenerati fuerint; imò nec nobis conſtat aliunde, IESVM à Nazareth non eſſe magum, & impoſtorem Orbis, ſed Filium Dei, & humani generis Redemptorem. Demùm, hinc intelligimus potiſſimè exiſtere Deum, qui per Moyſen, & Prophetas, per IESVM, & Apoſtolos peculiari prouidentia vrgeat genus humanum à peccato ad ſæpefatam Regenerationem.

Et licet ego ſentiam, Deum non imputare hæreſin ad culpam nonnullis eorum hominum, qui viuunt inter Sectas Hæreticorum, & conſequenter, horum pleroſq; regenerari, non tamen hi clarerent & miraculis ſine confirmatione, velut diuinitùs facta, hæreſis, quam materialiter profitentur: quapropter ſecurus pronuncio, nullã extare, aut extitiſſe Hæreticorum ſectã, in qua vel vna perſona, præter eximiã

vitæ

vitæ ſanctimoniam, inclaruerit etiam miraculis. Idcircò exiſtimo, illũ Chriſtianorum cœtum, qui ſolus in Orbe claret Regeneratis, eſſe vnicam veram Eccleſiam, apud quam vera fides regeneratiua ſeruatur incorrupta; ita vt hæc vnicitas claritatis Regeneratorũ ſit certiſſima regula, & expeditiſſima ſecernendi vnicam veram Eccleſiam ab innumeris falsò putatis Eccleſijs.

CAPVT. V.

Eccleſia Catholica ſucceſſione, non interruptâ, propagatur ab illo cœtu Christianorum, qui D. Petro adhuc viuenti credidit collatum fuiſſe à Chriſto Primatũ in Eccleſia.

HVc vſq; Idæam propoſui, ſecundũ quam Deus, ſi vellet, ſuam & fundaret Eccleſiam, & fundatam ſecerneret ab Hæreticorum Sectis. Iam verò emergo ex hac profunda inquiſitione, & circumſpicio præſentiſſimam gene-

ris humani conditionem; accuratius verò inſpicio Chriſtianorum legem, doctrinam, Sectas, & alia huc ſpectantia; & ex præſentiſſimis, ſenſibilibuſq; notis præteritorum temporum vſq; ad ætatem Apoſtolorum, animaduerto exiſtere quendam cœtum Chriſtianorum, qui nuncupantur Catholici. Et, tametſi hoc poſtremo ſæculo à quibusdam denominentur Papiſtæ, non tamen aut Linij; Clementini, Paulini, aut vllo alio perſonali nomine vllius Romanorum Pontificum: cùm intereà quotquot aliarum Sectarum extant, & extiterunt, denominentur à ſingulari aliqua perſona, tanquam ab auctore Sectæ: ab auctore, inquam, nouello, ſcilicet recentiore Apoſtolis, puta Samoſatenos, Arianos, Neſtorianos, Manichæos, Caluiniſtas, Lutheranos. Quoniam verò deprehendo, vnicum Catholiciſmum ex omnibus Chriſtianorum Cœtibus, clarere Regeneratis, repetere volo eius exordia, atq; ſucceſſus; quatenus hic Cœtus ſecernatur diſtinctius à reliquis.

ſcru-

Scrutatus ergò initia, & primordia Catholicorum, animaduerto, illos internoſci ab omnibus alijs Chriſtianorum cœtibus, ob iuriſdictionem ſupremam in vniuerſam Eccleſiam, quam credunt traditam à Chriſto Petro, & ſucceſſoribus eius, qualem ſe prædicat Epiſcopus Vrbis Romæ. Ea propter hinc mente recedo vſq; ad Chriſtum viuentem in carne mortali; adhibeoq; ſacrum textum, velut nullam habeat auctoritatem; præter hiſtoricam humanam, admiſſam ab omnibus Chriſtianis: & perquiro, an Chriſtus Petrum prætulerit cæteris Apoſtolis: & deprehendo, quod, poſt viſum prima vice Simonem, mox dixerit: *Tu es Simon Bar-Iona, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* Quoniam verò vni Petro in nouo Teſtamento immutatum eſt nomen ab ipſo Chriſto, communicatumq; aliud nomen, quod ex Sacris literis ipſi Chriſto competit, velut lapidi fundamentali ſtructuræ Eccleſiaſticæ, præſumptio eſt certiſſi-

ma (ſiquidé Chriſtus non nugabatur) Chriſtum, cùm fuiſſet intuitus Petrum, cognouiſſe, eum fore ſui vicariam Petram in fundamento Eccleſiæ, & obid inſignitum fuiſſe hoc nomine Petrus deriuato à Petra. Perquiro vlteriora, & adinuenio, quod, cùm varij ſermones miſcerentur de perſona Chriſti, interrogatis ab eo Diſcipulis ſuis, quem homines dicerent eſſe filium hominis, reſponderunt: *Alij Iohannem Baptiſtam, alij Eliam, alij Hieremiam, aut vnum ex Prophetis* pergit Chriſtus: *Vos autem, quem me eſſe dicitis?* Tum proſilijt Petrus & ait: *Tu es Chriſtus filius Dei viui, qui in hunc mundum veniſti.* At Ieſus, poſt primam, præclaramqúe ſuæ diuinitatis confeſſionem à Petro prolatam, hiſce verbis illi gratulatus eſt: *Beatus es Simon Bar-Iona, quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus, qui eſt in Cœlis. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ Inferi non præualebunt aduerſus eam, & tibi*

tibi dabo claues Regni Cœlorum, & quodcumq; ligaueris super terram, erit ligatum & in Cœlis; & quodcumq; solueris super terram, erit solutum & in Cœlis.

Christus alloquitur Simonem, at non quemlibet Simonem; sed eum, qui sit Bar-Iona, hoc est, filius Iohannis. Illum, inquam, filium Iohannis, qui professus est omnium primus diuinitatem Christi. Illum deniq; Simonem, quem ipse Christus nominauit, nominariq; voluit, Petrum. Quantis circumstãtijs singularizauit Christus personam, quam alloquebatur; quatenus mox sequentia verba illi vni competerent? nimirum, Simonem esse Petram, super quam ædificaturus erat Ecclesiam suam, quod impossibile, ac incredibile est, si dignitas Petræ non transmittatur ad successores eius. Pergit Christus. *Et quodcumq; ligaueris super terram, erit ligatum & in Cœlis, & quodcumq; solueris super terram, erit solutum & in Cœlis.* Ecclesiiam suam fundandam supra suam vicariam petram, vult esse vnum Regnum cum

Regno Cœlorum: scilicet, Christum è Cœlo maledicturum ijs, quos Petrus ligasset, & benedicturum alijs, quos soluisset: quæ potestas, cum qua conspirat Christus è Cœlo, soli Petro data est, si ea consideretur relata ad vniuersam Ecclesiam, & transmissa cum hac extensione ad Petri successores.

Ingentia sunt, quæ à Christo promittuntur Petro: quapropter curiosus perquiro actualem concessionem, quā reperio factam consilio, quòd refert prudentiam, & æquitatem diuinam. Promeruerat prima diuinitatis Christi confessio præfatas promissiones amplissimas; non tamen debuit promissum concedi, si fidei eximiæ non accederet præcipuus amor ergā Christum. Quapropter Christus donaturus Petram promisso Principatu in vniuersam Ecclesiam, resuscitans à mortuis, mox à nobis secessurus in Cœlū, requirit ab illo charitaté erga se maiorem illa, qua diligebatur à reliquis

Apo-

Apoſtolis. Dicit ergò illi: *Io: 21. ℣. 15.* *Simon Iohannis diligis me plus his? Dicit ei, Etiã Domine: tu ſcis, quia amo te. Dicit ei, Paſce agnos meos. Dicit ei iterum, Simon Iohannis diligis me? Ait illi, etiam Domine, tu ſcis, quia amo te. Dicit ei, Paſce agnos meos. Dicit ei tertiò, Simon Iohannis amas me? Contriſtatus eſt Petrus, quia dixit ei tertiò; Amas me? & dixit ei, Domine, tu omnia ſcis: tu ſcis quia amo te. Dicit ei, Paſce oues meas.* Soli Petro ex omnibus Apoſtolis dicitur, Paſce agnos: Agni ſunt ouium partus. Soli Petro dicitur, Paſce oues: eæ ſunt matres agnorum: Videlicet, Páſce omnes, tam populum, quam Eccleſiarum particularium Rectores. A Petro duntaxat exigitur amor erga Chriſtũ, maior amore reliquorum Apoſtolorum: haud dubium, ſi (Chriſtus ſibi conſtat) quatenus ferre poſſet animo incorrupto iuriſdictionem in Eccleſiam, primam, maximamq; poſt Chriſtum.

Quapropter opto ex ſacro textu exemplũ iuriſdictionis huiuſcemodi exercitæ à Petro: quod vltrò mihi oc-

currit inter Acta Apostolorum: cum e-nim post assumptum Christum ad Cœlum, incidisset quæstio, vtrū Christiani tenerentur lege Mosayca, & coacto generali Concilio, cui interfuere Apostoli omnes, & alij plures, fieret magna conquisitio, intercessit Petrus hisce verbis: *Act: 15. ℣. 7. Viri fratres, vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum audire Gentes verbum Euangelij, & credere. Et, qui nouit corda Deus, testimonium perhibuit, dans illis Spiritum S. sicut & nobis, & nihil discreuit inter nos & illos; fide purificans corda eorum. Nunc ergò quid tentatis Deum, imponere iugum super ceruices discipulorum, quod neq; Patres nostri, neq; nos portare potuimus? Sed per gratiam Domini IESV Christi credimus saluari, quemadmodum & illi. Tacuit autem omnis multitudo.*

Nimirùm, Petrus asserit, sibi supremam docendi iurisdictionem, velut ab antiquis diebus, scilicet, ab æterno sibi vni, electo ex omnibus, prædestinatam à Deo; quatenus Gentes ex ore illius audirent verbum Euangelij, & crede-

crederent; definitq;, Christianos non teneri Lege Mosayca, ad quam definitionem tacuit omnis multitudo; approbauit tamẽ ex mente Iacobi, Christianos ex Gentibus abstinere debere ab immolatis simulachrorum, & sanguine, & suffocato. Porrò definitio hæc sustulit iugum Legis Mosaycæ ab vniuersa Christi Ecclesia ab illa ætate vsq; ad diem extremam: fueratq; difficultas, tùm proposita, obnoxia contradictioni perniciosissimæ, & inuidiæ, quæ ex Gentibus manebat Christianis à Iudæis. Hæc potiora sunt in fauorem Petri.

Sed interueniunt alia sexcenta ex multa necessitudine, ac consuetudine Christi cum Apostolis, quæ Petri primatum spectant. Inter centies recensitos Apostolos, Petrus primo loco nominatus semper. Inter adhibitos Apostolorũ præcipuos ad secretiora Christi facinora, Petrus accitus semper. Expostulatum didrachma à Christo titulo tributi, iussit solui pro se, & Petro.

Angel⁹ præcepit ſignificari Chriſti Reſurrectionem eius diſcipulis, & Petro. Petrus inducitur, ſuccenſens Principibus Sacerdotum, atq; Iudæis ſententiā capitalem, latam in Chriſtum ſuſcitatum à mortuis, & detergens notam ebrietatis, obiectā à Iudæis collegio Apoſtolorum, canentiū magnalia Dei, poſt ſuſceptum Spiritum S. Petro monente, ac dirigente, Matthias datis ſortibus, ſuffectus eſt in locum Iudæ proditoris. Sum Catholicus: ſed ſim conſtitutus in puris naturalibus, ignarus Chriſti, nedum Chriſtianorum. Si mihi prælegerētur ex Euangelio, & Actis Apoſtolorum, quæ de Petro retuli; cernerémque Chriſtianos ſcindi in duas Claſſes, quarum altera Petri, & ſucceſſoribus eius deferret primatū: altera contenderet, Petro nil iuriſdictionis obueniſſe à Chriſto, non communem Apoſtolis, dicerem, illos credere Euangelio, his verò veritatem Euangelicam eſſe inuiſam, ac detorquere ſenſum ſacri textus, obuium non

perni-

peruicaci: si verò mitius censere vellem, dicerem, Catholicos, si errant, dignos esse commiseratione, eorumq; culpam reijcerem in Christum, qui fecisset occasionem errandi. Ille ergò Christianorum cœtus, qui dicitur Catholicus, exordiũ habuit ab illa multitudine, quæ in præfato illo primo Concilio generali tacuit, consensitq; Petro, asserẽti sibi principem dignitatem in Ecclesia: asserenti, inquam, non dogma nouum, sed notum: *Vos*, inquit Petrus, *scitis* &c:

Itaq; Catholici inter Sectas, seu Cœtus Christianorũ, sunt antiquissimi omnium. Porrò, post Petri excessum, qui illi successere in Episcopatu Romano, intellexerunt, Simonem non fuisse petrã fundamentalem Ecclesiæ, eamq; ob id non habituram consistentiam aduersus Portas Inferi, si Petro defuncto, defuncta fuisset princeps illa iurisdictio, Petro collata: quapropter, ex traditione Apostolica, & Diuina, illam sibi asseruere constantissimè,

mè, non velut vsurpandam, sed ibant defensum auctoritatem, sibi diuinitus impertitam.

Hic ergò Christianorum Cœtus, idcircò dictus est Catholicus, quia, nó interrupta successione, propagatus est per Orbem terrarum vsq; ad nostram ætatem. Hic, inquam, Cœtus hac notâ distinguitur ab omnibus alijs, quod communicet in fide cum Episcopo Vrbis Romæ, qui, quò amplius dilatatum est Euangelium, & parta Ecclesiæ pax, atq; tranquillitas, eò frequentiora edidit exempla exercitæ primariæ iurisdictionis in alios Episcopos, inq; vniuersam Ecclesiam. Censeat ex historica veritate, qui volet, Episcopos à Romano ordinatos, Concilia generalia indicta, & confirmata, Hæreses damnatas, Leges vniuersales sancitas, atq; promulgatas, causas Ecclesiasticas, etiam inter Patriarchas, cognitas, Gentium vocationem, & conuersionem ad fidem Christianam decretam, & directam, & alia eiusmodi; nec dubito,

ſtito, quin is ſatis intelligat, ſucceſſus Eccleſiæ Chriſtianæ reſpondere dignitati, ac promiſſionibus, quæ Chriſtus contulit D. Petro.

Verùm, cùm hæc ſint & multa, & diuerſa, vnum eſt, quod huc maximè ſpectat: ſcilicet, nullam extitiſſe præcipuam Hæreticorum Sectam, quam non damnarit Romanus Pontifex: damnauit autem omnes Chriſtianorum Cœtus, qui ſecũ non communicabant in fide: quæ verò fuerit ſors huiuſce Catholici Cœtus, reſpectiuè ad ſorté Sectarum damnatarũ, licet conijcere ex Eccleſiaſtica hiſtoria, imò & cernere ad oculum. Vbi Ariani damnati in primo Concilio Nicæno? Vbi Macedoniani damnati in prima Synodo Conſtantinopolitanâ? Vbi Neſtoriani damnati in primâ Synodo Epheſinâ? Vbi Dioſcoriani damnati in prima Synodo Chalcedonenſe? Vbi aliæ ſexcentæ Hæreſes, interuentu Romani Pontificis ſub Anathemate conſtitutæ; atq; deletæ? Fuerant illæ Sectæ Portæ

tæ Inferi, poteſtas, & conſilia Diaboli, quæ non præualuerunt aduerſus Eccleſiam fundatam ſupra Primatum Petri, eiuſq; ſucceſſores.

CAPVT. VI.

Probat, Eccleſiam Catholicam, quæ ſola claret Regeneratis, profiteri doctrinam reuelatam immunem ab omni falſitate.

Hæc verò hiſtoricè retulerim in eum finem, vt conſtet de illo Cœtu, quem, aio, vnicum ex omnibus claruiſſe, atq; clarere Regeneratis in Orbe Chriſtiano: quo argumento ſoluo omnes quæſtiones, quibus non determinatis explicitè, vel implicitè, nemo prudens crediderit Chriſto, & Eccleſiæ eius: ſcilicet.

Ille Cœtus Chriſtianorum, qui ſolus in Orbe claret Regeneratis, neceſſariò eſt vera Dei Eccleſia.

Communicantes in fide cum Romano Pontifice, ſunt Cœtus Chriſtianorum, qui ſolus in Orbe claret Regeneratis.

Ergò

Ergò Cõmunicantes in fide cũ Romano Pótifice ſunt vera Dei Eccleſia. Scilicet:

Ergò Deus eſt exiſtens.

Ergò Deus miſit Ieſum à Nazareth humani generis Redemptorem.

Ergò vera fidei doctrina ſeruatur incorrupta in Cœtu communicantium in fide cum Romano Pontifice.

Ergò communicare in fide cũ Romano Pontifice, eſt Eccleſiaſtica regula credendi.

Ergo Deus claritate Regeneratorum confirmat Romani Pontificis auctoritatem: & ſimul prodit ſuam exiſtentiam.

Demùm nullus irrepſit error in fidem Catholicam ab Apoſtolis, Scriptoribus canonicis, Interpretibus, à Concilijs generalibus, Typographis, ſeu ab alijs eiuſmodi quibuſcumque: quandoquidem in ea fide regenerantur Fideles.

Porrò illi è Chriſtianis, quos vniuerſalis Eccleſia colit, ac veneratur,

vt Regeneratos, claros vitæ ſanctitate & miraculis, ſunt innumerabiles: quos verò Romana Eccleſia, quam penè omnes Eccleſiæ Latini ritus ſequũtur, veneratur, ij commemorantur in Romano Martyrologio. Cœterùm, vix puto eſſe Epiſcopatum vllum antiquitus fundatum, qui non colat Eccleſiaſtico officio Sanctos nonnullos ſuæ Eccleſiæ peculiares. Cogitet qui vult, Laurentium, Vincentium, Sebaſtianum, Auguſtinum, Ambroſium, Hieronymum, Benedictum, Franciſcum, Dominicum, Cæciliam, Catharinam, Agnetem, Luciam, & alios Sanctos Orbi, vel particularibus Diœceſibus, notiſſimos; horum, ne quidem vnus fuit, qui non communicauerit in fide cum Vrbis Epiſcopo. Ex ijs verò Chriſtianorum Cœtibus, qui non communicarunt in fide cum Vrbis Epiſcopo; nullius extat memoria, ſufficienter conteſtata in tota antiquitate, qui claruerit vitæ ſanctimonia, & miraculis. Imò auſim aſſerere, vnũ aliquem è Catho-

licíſ-

licißimo, puta vnum Beatum Felicem à Cantalicio Capuccinum, edidiſſe vera miracula plura ijs, non ſolùm quæ ab Orbe condito extra veràm Eccleſiam edita ſunt; ſed & ijs, quæ Hæreticorum fraude, & malitia conficta fuere, quorum etiamnum extet aliqua, memoria: ſcilicet, hoc genus mendacij difficillimũ eſt; & ſi quæ vrgeantur vt vera, mox obliterantur, vt impudentiſſimè falſa.

Quoniam verò Bibliſtis meis peregrina ſunt, & miracula, & illa vitæ ſanctimonia, quæ voluntarias cruces proſequitur, conſultum duxi peculiari Tractatu ſubmouere & incredulitatem depatratis miraculis, & ſtuporé, ex ignorantia, quomodo contingat communicatio Dei ad animam, qualis eſt ſponſi ad ſponſam, poſt emaculatã conſcientiam à ſordibus peccatorum, vnde proueniãt extaſes, viſiones, prophetiæ, miracula, & ſæpe ſæpius vitæ inſtitutum, & actiones pleræq;, quæ homini animali videntur non congruere-

ere maiestati Creatoris, & vili conditioni nostræ. In hunc finem conscripsi librum De Hominis perfectâ Regeneratione per gratiam Redemptoris: in quo, neq; cogitando, iui probatum dogma Catholicum de hoc argumento; sed enarro motus vitales Regenerandi, quos edit, ac patitur, respectu Dei regenerantis: scilicet, enarraui lucem impertitam animæ à Deo, & amorem voluntati, & odia hinc excitata contra id omne, quod nos pelliciat ad creaturas, atq; auertat à Deo; quatenus Biblistæ mei notarent mentem, à qua proficiscuntur consilia voluntariæ crucis; à qua manant irradiationes, & amores facientes extasim; à qua habetur fiducia patrandi miracula, & lux prædicendi futura, & alia eiusmodi.

Prætereà, recenseo quædam miracula, & sanctioris vitæ exempla ex nostro Ordine Capuccinorum, velut ea, (vtpote recentia) quæ negantium, vel dubitantium censuræ, sint ad libitum cuiusq;

rò usq; exposita; quatenus talibus documentis fidem facerem, patrari apud Catholicos vera miracula. Vera, inquam, scilicet, quæ à solo Creatore fieri possint, licet non omnia à me narrata sint eiusmodi. Reuocare hominẽ mortuum ad vitam, solus Deus potest. At strato pallio traijcere maria, potest & malus Dæmon; & tamen pleraq; eiusmodi commemoraui, velut sint non à malo Dæmone, sed à Deo patrata; cuius rei fidem faciunt illa miracula, quæ solum Deum possunt habere auctorem. Haud negauerim, Cacodæmonem potuisse consolidare aquas, ambulanti super mare; nec tamẽ proptereà suspicor, Cacodæmonem id obsequij præstitisse Petro, cùm iussus à Christo, ambulauit super mare; sed id tribuo Christo, qui lucem impertierit cœco nato, & vitam restituerit Lazaro, mortuo quadriduano.

Non ergò recensitis miraculis, & Regeneratis ex Ordine Capuccinorũ, confirmare volui Catholicam verita-

tem,

tem, velut illa hinc pendeat; sed hai enarrationem destinaui in eum finem quem dixi; meumq; capitale argumentũ diduxi ad comprehendendos omnes Regenaratos claros miraculis, & vitæ sanctitate, quorum habeamus memoriam certam ab ætate Apostolorum vsq; ad hanc diem.

CAPVT. VII.

Vlricus tollit vitæ sanctitatem, & miracula, vt damnet erroris Catholicam credendi regulam.

HÆc est Synopsis eorum, quæ pluribus exaraui in meo Tractatu de Catholicorum credendi regula. Audiam ergò Iudicium tuum de meo capitali argumento, deq; nostra credendi regula. De Syllogismo meo, *cap. 20.* §. 7. ita pronuncias: *Ergo principalis Syllogismus tuus totus ruit: Falsa quippe in eo est Maior, falsa Minor, falsa Conclusio, falsæ consequentiæ: aut certè non ideò veræ, quia eas ibi, tanquam ex Præmissis fluentes, subnectis: non enim fluunt, sed coacerauntur.* De Catholica verò

rò credendi regula *Cap.* 14. §. 2. censes (sunt tua verba)

(1.) *esse Acatholicam.*
(2.) *ad intentionem meam Insufficientem.*
(3.) *Praxi nimis operosam, & difficilem.*
(4.) *vsu incertam & fallacem.*
(5.) *effectu ipso Ecclesiæ Dei noxiam.*
(6.) *Romanæ autem Ecclesiæ inutilem.*
(7.) *Tum in se ipsa falsam.*
(8.) *Omni vsu cassam.*

Ex hisce titulis vnus est tuo iudicio, ex quo reliqui deriuant sibi, velut à radice, omnem, quam referunt Acatholicitatem, Insufficientiam, Difficultatem in praxi, Incertitudinem, Perniciem, & Inutilitatem ipsi Romanæ Ecclesiæ, atq; adeò Nullitatem. Nimirùm, hæc omnia proueniunt à falsitate. Id tu ipse profiteris *Cap.* 20. statim in principio: sic enim inquis: *Hactenus obliquè, & superficietenus Regulam tuam, in causis, accidentibus, effectisq; suis considerabam: nunc ipsam in manum sumo, structuram eius resoluturus, atq; sic tandem veritatem, vel falsitatem eius certò, vti confido, deprehensurus.*

Magnum ergò, & meo iudicio arduum moliris contra Catholicos, idq; hoc ordine aggrederis. *Cap. 13. §. 1.* Dearticulas syntaxin, & compagem totius mei Tractatus de Catholicorum credendi regulà, hisce verbis: *Summa consilij tui est: Non fidendum esse priuatæ Scripturarum interpretationi, quæ est cuiuslibet seorsim, vt huius aut illius Doctoris ab Ecclesia separatim: sed publicæ, quæ est Ecclesiæ in Concilio generali congregatæ, quæ à Spiritu S. infallibiliter docta, omnia Fidei dogmata determinat. Talem verò Ecclesiam, cui soli fidi potest, esse Catholicam Romanam: quod probas Argumento triplici. Primò quia illa sola est Ciuitas illa in monte, conspicua Orbi, ab exiguis Apostolicæ prædicationis initijs in tantam amplitudinem diffusa, hierarchiâ suâ semper illustris præsertim in Concilijs congregata. Secundò, quia sola hucusq;, vti semper, claret Regeneratis. Tertiò, quia diuinitus claret Miraculis. Quæ quidem Argumenta sic disponis, & vrges, vt in vnum desinant, Miracula: (demonstras enim Ecclesiam per Regeneratos, & Regeneratos per Miracula:) reuera tamen tria sunt, & quod libet per se argu-*

ndi vim habet; quemadmodum & tu seorsim vnumquodq́; vrgés. Omnia itaq́; illa, quæ libris octo dixisti, in hæc tria se resoluere, CONCILIA, REGENERATOS, MIRACVLA, *ratum esto.*

Inde vsq; ad *Cap.* 20. exclusiuè, pensitas, quàm sit operosum, ac difficile singulis Christianorũ euoluere Concilia generalia, censere de Regeneratione singularum personarum, distinguere falsa à veris miraculis, & cauere ab imposturis hominum mentientium & vitæ sanctitatẽ & miracula. Quapropter eiusmodi credendi regulam asseris difficilem, fallacem, effectu ipso noxiam Ecclesiæ Dei, imò ipsi Romanæ Ecclesiæ inutilem; & consequenter infers, non esse Catholicam, & esse insufficientem ad intentionem meam, imò omni vsu cassam. Falsitatem verò, vnde manant enumerata incommoda, euincere conaris resoluendo totum meum ratiocinium in tres Propositiones, quas malo huc referre tuis proprijs verbis ex *Cap.* 20. §. 2. vbi ita habes:

Hæc est tota vis regulæ tuæ. Cui pro fundamento stant tres illæ propositiones Maiores, tanquam immotæ veritatis bases.

I. Quicumque edunt Miracula vera, illi sunt veri Regenerati.

II. Cuiuscumque Ecclesiæ membra sunt Regenerati, illa Ecclesia est vera Ecclesia.

III. Quidquid docet Ecclesia vera, illud est verũ. Edidisse iam, Valeriane, fundamenta hæc pro tuis agnoscisne?

Has tres propositiones, quas reposuisti in tuo Tractatu, velut meas, tu negas, & confutas. In successu verò tuæ disputationis misces præcipuas quasq; quæstiones Theologicas; nimirùm de auctoritate Pontificis; de Norma, & iurisdictione Consiliorum; de Canone Sacrorum Librorum; de Regeneratione hominis in filium Dei: de merito bonorum operum: de Consilijs Euangelicis, & de alijs eiusmodi, quæ sepono, & delibo ex omnibus sententiam tuam de vitæ sanctimonia, deq; miraculis: hæc enim duo simul iuncta mihi constituunt illam auctoritatem,

tatem, quam dixi & Diuinam, & Ecclesiasticam credendi regulam. Tu verò hæc fundamenta doctrinæ Christianæ suffodis ausu ingenti duabus propositionibus, quarum prima è medio tollit miracula. Hanc tuis verbis ex Cap. 17. §. 6 pono: *Ah, mi frater Valeriane, hic verò me demum in illusionum campos deducis. Miracula enim Deo & Diabolo, Christo & Anti Christo communia esse scribit Espensæus vester (Comment: super 2. Timoth. pag: 83.)*

Si hic Auctor errat tuo iudicio, ego dum ad miracula te prouoco, nequaquam te in illusionum campos deduco. Ergò sentis, miracula esse communia Deo & Diabolo, Christo & Anti-Christo, prout alibi sæpius inculcas.

Secunda Propositio deridet externam illam vitæ Sanctimoniam (interna enim nos latet) quæ excellit supra vulgarem: nimirùm, cruces voluntarias, adhibitas ad exercitium virtutis, tuo iudicio damnas in multis locis. Cap: 2. tuæ Appendicis §. 11. hæc habes: *Mi Valeriane, hæc ne sunt arma vestra con-*

tra ſalutis hoſtes? Veſtis, Cilicium, Flagellum, Deſertum, Trabs raptata, &c: Apoſtolus dicit, Arma militiæ noſtræ non eſſe carnalia: at iſta ſcuta veſtra prorſus carnalia ſunt. Vt ſine Chriſto excluſiſti pullum tuum, ita ſine Chriſto athletam hunc tuum depugnare doces omnes pugnas: hem! Nam quod addis, Crux Chriſti, ludus in re ſeria. Vbi enim Chriſtus ſtultorum veſtem tulit? ſeipſum quotidie flagellauit, contumelias, & crucem portauit &c:? Scimus in paſſione non defuiſſe nec flagella, nec ſtultam veſtem, nec contumelias &c: ſed ille hæc, tantum abeſt, vt ſibi vltrò accerſiuerit, vt etiam cum gemitu Patrem deprecatus fuerit: immiſſa tandem patienter tulit. Nõ Chriſtum ergò imitamini, ſed Petrum; qui ſe vltrò ad Crucis conſortium offerebat temerarius, poſt confuſus receſſit miſer. Deus enim non vult à nobis fieri, quod nobis rectum videtur. Sed quod ille ſibi placere Lege ſuá oſtendit, Deut. 12. 8.

Demolitis autem hiſce duobus fundamentis, corruit Catholica credendi regula à me exarata: nam nil habeo quod referat, ſeu conuincat, Cœtum Catholicum clarere Regeneratis, ſi ex peculiari vitæ ſanctimonia, & miraculis

lis id non euinco. Hæc eſt ſtructura tuæ confutationis.

Quoniam verò animalis homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei; haud dubium, quin voluntariæ cruces ſeruorum Dei, pugnæ, & luctæ inter carnem, & ſpiritum, delitiæ & amores inter Deum & animam, ſuggerant Circulatoribus, Mimis, Scurris, atq; Morionibus materiam exercendæ artis infamis. Notaui ſæpius, non Scurras, ſed & prudentiores ex Cœtu Catholicorum, nedum Hæreticorum, modo ſordeſcant luxuriâ vitæ labentis, prouocare ſocios ad riſum, ex lepida ſubſanatione auſterioris vitæ eorum, quibus ſordeſcit ſæculum hoc. Tu verò, mi Vlrice, ad diluenda mea argumenta, ſæpius transferre videris ad ſales, quæ ſeriò commemoraui de Capucinorum vitæ auſteritate, miraculis, & intimiore familiaritate cum Deo. Hoc conſilio frequenter repetis raptatam trabem, veſtem capitiatam, cilicium, flagellum, pedum nuditatem,

tem, exucta vlcera, epotum humorem fætentem, vigilias: Aſinos, Boues, pullos gallinaceos à morte ſuſcitatos: Canes Capuccinis dediſſe panes; Vulpes gallinas; feles auiculas, & lepores; Scrophas porcellos; Accipitres, columbas. Præcipuos Regeneratorum ex Capuccinis fuiſſe Opiliones, Bubulcos, Agricolas, Agaſones, Muliones. Regeneratum verò meum, quem *lib*: 7. deſcribo, tu *Cap*: 2. §. 14. Appendicis hoc Elogio commendas: *Da veniam, Valeriane, vt liberius agam, Tibiq, pupum tuum, qualiter eum arte tua regeneraueris, ad viuum oſtendam: Luſcus eſt; Mancus eſt: Claudus eſt: Phtyſicus eſt.*

Hæc, & pleraq; eiuſmodi, ſeu directè, ſeu obliquè ad lepórem traducere videris, & ad riſum legentium Bibliſtarum. Ego ipſe cachinnum ſuſtuli, cùm hæc legerem.

Scis, Vlrice, quis tu mihi videaris? Memini, cùm ſtuderem Rhetoricæ, atq; Dialecticæ, mihi ſæpius fuiſſe præſcripta themata inopinabilia, improbabi-

babilia, & manifestè falsissima, quæ ego meo acumine ex locis Dialecticis, & Elenchorum ænigmatibus facerem probabilia, imò necessaria. Si tu toties seriò, & aduocato Deo in testimonium tuæ conscientiæ, non obtinuisses à me fidem de tui animi candore, ingenuè profiteor, quod crederem te hominem Atheum, cui ludus fuerit exercere Dialecticam, non ex alijs locis, quàm ex sacro textu; quatenus vel voluptatem ex ioco, vel laudem ex argutia captares, semper nisus tuo stylo in oppositum compertæ veritatis.

Dixi, eum cœtum Christianorum esse veram Dei Ecclesiam, qui solus ex omnibus claret Regeneratis, conspicuis vitæ sanctitate, & miraculis. Hoc dictum tu oneras tot tantisq; calumnijs, & vix non inde excitas fabulam; & tamen nil mihi magis prædicas, quam mentem non præoccupatam. Miror, qui fieri potuit, vt tam facilè superaueris pudorem, qui compescit humanam indolem, dum propalam nititur

contradicere veritati conſpicuæ. Volo hanc pudoris iacturam ſubijcere oculis tuis arguméto, licet in alia materia, ſimillimo illi, cui contradicis.

Sint plures cœtus Pictorum, putà, vnus Norinbergenſium, alter Auguſtanorum, alij ex alijs præclarioribus Ciuitatibus: & quæſtio ſit, quis horum cœtuum excellat ſuper reliquos cœtus artis pictoriæ: quam quæſtionem ego hoc argumento dirimam.

Ille Pictorum cœtus, qui ſolus in Orbe claret picturis publicè laudatis, excellit ſuper reliquos pictorum cœtus.

At cœtus pictorum Norinbergenſium ſolus in Orbe claret picturis publicè laudatis.

Ergò cœtus pictorum Norinbergenſium excellit ſuper reliquos pictorum cœtus.

Quid, Vlrice, ſentires de pictore illo, qui non ſolùm negaret Maiorem, & Minorem præfati Syllogiſmi; ſed & aſſeret, Syllogiſmum eſſe inſufficientem, obſcurum, difficillimum, falſum, & per-

perniciosum famæ, & existimationi pictorum Norinbergensium? Ego id de te sentio, quod tu sentires de eo, qui, vti supra, improbaret præfatum Syllogismum.

CAPVT VIII.

Resolutio fidei alia est Theologica, alia Logica.

HIsce retulerim structuram tuæ cõfutationis. Ego verò præmitto nonnulla, priusquam occurram tuis argumentis.

Est regula credendi, quam nusquam deficiens diuina prouidentia statuit in Orbe. Hanc inquiro. Cœterum, sunt ex Catholicis plurimi, qui credunt Deo, & Ecclesiæ eius, sanè secundum regulam à Deo constitutam, sed ab ipsis satis obscurè, & confusè cognitam. Hosce defectus ab exquisitâ fidei regula, non attendo. neq; hoc loco perquiro rationem, cur & hi vtiliter Deo & Ecclesiæ credant. Habeo ex te frequentem occasionem huiusce obser-

uationis: cùm enim mihi obijcias au-ctoritatem etiam quorundam Catho-licorum, asserentium, assensum no-strum circa articulos fidei, non habere certitudinem ab argumentis, in quæ logicè resoluitur ille assensus; sed dun-taxat ab infuso habitu fidei; distinguo assensum, qui de facto elicitur ab ali-quibus, ab illo assensu, quem elicere potest homo, perfectè conscius regulæ fidei, quam diuina prouidentia solidis-simam constituit. Concessero quàm facillimè, illorum assensum resolui in illa argumenta, quæ imperfectè cogni-ta, non tribuunt certitudinem, quem defectum supplet supernaturale, ac in-fusum donum fidei. At verò is, qui sit conscius earum rerum, quas Deus sta-tuit solidiora fundamenta fidei Chri-stianæ, assentitur fidei cum certitudi-ne, proueniente etiam ab argumentis, in quæ logicè resoluit suum assensum: cui certitudini adiungitur illa, quam contribuit supernaturale donum fidei infusum à Deo, sine qua assensus foret

equi-

equidem certus, non tamen ex fide infusâ, ſed ex humana ratiocinatione.

At obijcies D. Gregorium, aſſerentem, fidem non habere meritum, vbi humana ratio præbet experimentum. Reſpondeo, eſſe quandam complexionem argumentorum, obiectiuè commouentium mentem humanam ad eum aſſenſum, qui ſit cum euidentia & certitudine, de quo loquitur D. Gregorius: tùm enim non ſenſus, ſed ratio humana præbet experimentum euidentioris veritatis. Alia complexio ſic commouet mentem, vt tamen non poſſit in illa efficere aſſenſum cum euidentia, ſed cum certitudine tantùm. Alia nec certitudinem, nec euidentiam tribuit, ſed efficit aſſenſum cum formidine oppoſiti. Demùm, eſt quædam complexio argumentorum, quæ nullum poteſt efficere aſſenſum, ſed dubitationem inducit. Exiſtimo autem, non latere te, quod laus & vituperium, ſeu meritum & culpa, non tribuuntur operationibus humani intelle-

ctus,

ctus, seclusâ voluntate, sed liberæ duntaxat voluntati. Ignorare quomodocumq;, tametsi quandoq; sit noxium ignoranti; non tamen est culpabile. Culpabile est; velle ignorare: Ego verò, si aliqua argumentorum complexio non possit absolutè efficere assensum cum certitudine, non tribuo laudi, ac merito, quod voluntas conetur assentiri cum certitudine, contra vim argumentorum. Id enim nihil aliud foret, quàm niti contra lumen rationis: quapropter existimo, Deum id non præcipere nobis. Laudo eum, qui argumenta accuratè perquirit, & maturè ponderat. *Quomodo dilexi legem tuam Domine; tota die meditatio mea est.* canebat Regius Psaltes.

Huic obseruationi accedit duplex resolutio fidei Christianæ in sua principia. Vna est, ac dicitur Theologica, quæ sistit, & hæret in Deo reuelante: ratio enim Theologica, cur credamus Symbolum fidei esse verum, non est alia, quàm Deus reuelans. At Logica resolu-

resolutio perquirit argumenta, quæ inferant, Deum & existere, & reuelasse Symbolum fidei; quæ resolutio non sistit, nisi in sensibilibus monumentis eorum præcipuè, quæ Deus fecit supra, & contra naturam vniuersalem, in testimonium suæ existentiæ, & doctrinæ reuelatæ. Hanc Logicam resolutionem fidei Christianæ, nec possumus, nec debemus dissimulare; quæ si fiat, prout fieri potest, inuehit ingens solatium fidei, tollit Atheismum, simul & hæreses. Hanc resolutionem, Deo fauente, tradam in mea Theologia, cuius specimen edidi in illo Tractatu, quem confutare niteris.

Demùm huc spectat, quod, non solùm imbecilliora, sed & eleuatiora ingenia datæ illationis & certitudinem, & euidentiam aliquando non assequũtur. Illi, eò quod non intelligant vim illatiuam argumenti: hi, quod nunquã finem faciunt exquirendi argumenta in oppositam sententiam, quibus conterriti, & turbati, penè cuncta statu-

unt,

unt, more Scepticorum, disputabilia in vtramq; partem. Hos difficillimè quis iuuerit. Homo clari, & solidi iudicij non deterretur auctoritate horum contradicentium; sed, si casus id postulet, solitarius sentit de certiore rei veritate, nullâ habitâ ratione, quod reliqui vergant in oppositas sententias. Si quæstio sit de fide infusâ, verum est illud Christi dictum: *Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit illum.* Sin verò quæstio sit de illa certitudine, & euidentia, quæ consequitur humanum ratiocinium, aio, eos, qui solido, & claro iudicio donantur à natura, non esse adeò multos, respectiuè ad cæcutientes: Deus verò ea dedit argumenta, vnde pendet Christiana fides, quæ possint efficere certitudinem, si non in omnibus, in ijs tamen, quibus est ingenium docile; quatenus nulla sit altitudo intellectus, quam Christiana fides non possit compescere in obsequium Christi. Horũ verò auctoritate, ingenia imbecilliora facilè cõmouentur.

Hæc

Hæc pauca prælibauerim: nunc me confero ad tua argumenta.

CAPVT IX.

Sublatis miraculis, neq; de diuinâ existentia sufficienter constat; & tamen Vlricus v. get Valerianum aucto. itate priuatorum Scriptorum.

EDidisti, mi Vlrice, in tuo Tractatu Elenchum totius mei Operis, quod confutas; cuius partem illam, quæ exhibet summam eorum, quæ tradidi de Catholica credendi regula, nō possum non laudare: Quin imò tu ipse multis titulis pleraque laudas. Ex his duo Elogia repono hoc loco. *Cap:* 13. §. 5. extollit, quod sentiam, humanum intellectum nullius auctoritate commoueri posse, nisi ratione aliqua probetur, attestantem nec decipi, nec decipere. Sic enim applaudis:

Quæ Libro secundo tradis, Aurea sunt omnia. Doces fidem (præsertim in rebus magnis) irrationalem

nalem eſſe, & ſtultam, quæ prius adhibetur, quàm certus ſis, illum, qui ſibi credi poſtulat, nec fallere, nec falli. Scribis enim Cap: 2. *Intellectus humanus nullius auctoritate commoueri poteſt, niſi ratione aliqua probetur, atteſtantem nec decipi, nec decipere. Veriſſimè. Hoc ſublimitatis datum eſt menti humanæ, vt in rerum ſcrutinijs nullo acquieſcat teſte, niſi ſeipsâ. Hinc eſt, quod omnia ſenſibus præſentibus inſpectare gaudet, ſi quid ei propriis ſenſibus attingere non datur, alieniſq; relationibus acquieſcere iubetur, ſolicitè circumſpectat, ne quid deceptionis ſubſit. Hic eſt character mentis noſtræ indelebilis, hæc eius in rerum cognitione gradata circumſpectio: vt quemadmodum nihil eſt in intellectu, niſi prius fuerit in ſenſu; ita nihil in fide, niſi prius in intellectu. Oportet enim credentem præintelligere, quid illud ſit, quod credendum offeratur; & præmuniri, ne fallaciæ aliquid ſubeſſe ſuſpicari poſſit; tum demum ſe ſubmittit authoritati. Quæ omnia dum Tu rectè expendis, Valeriane, à metu ſeductionis nos hîc liberas: quia Vos cæcam, brutam, irrationalem Fidem poſtulare, hactenus ferè ſuſpicabamur.*

Eodem *Capite* §. 9. commendas conſilium

filium meum de confirmanda vera fide ab effectis. *Atq; hic (inquis) iam venio ad pretiosissimam tuam Carbunculi instar fulgentem Gemmam, quam tibi pro angulari lapide totius tuæ credendi regulæ assumptam video, eoq; lætor. Quanquam enim nobis gemmam hanc non politam, sed multâ scabritie, rimisq; & nubeculis fœdatam, dedisti, gemma tamen est. Nempe, quod Rixas inter nos de Fide, & Fidei regula, terminari vis non otiosa Textus sacri speculatione, aut ventilatione, sed ipsius Fidei viuis, realibusque effectus, Regeneratione: Mascula sunt verba tua: Sit illa demùm vera Fides, quæ peccatores regenerat in Filios Dei (Lib: 8 cap. 6.) Et sequenti Capite: Exploratum eo Arborem â fructibus: nec facilè credo, vos ausuros vituperare id, quod monente Saluatore aggredior: Absit à nobis, absit, mi Valeriane, vt supra Magistrum sapere præsumamus, aureamq; hanc amoueri cupiamus Regulam. Imo scias, Euangelicos iam quoq; nostro sidem consilij inire.*

Itaq; satis tibi compertum est, me quærere illa argumenta, quibus mihi constet, Deum existere, Moysen, & Prophetas, IESVM Christum, & Apostolos.

ſtolos, & reliquos Scriptores canonicos nec decipi, nec decipere, in eo quod ſcripſere de doctrina reuelata, vel tradidere viua voce. Hanc verò rationem inueſtigandæ, & confirmandæ fidei laudaſti; vide ergò, vt tibi cõſtes: ſcilicet, ne hoc ipſum aut vitupe-res, aut detrectes hanc diſputandi rationem, tantoperè à te collaudatam.

Mihi verò inducenti Diuinam exiſtentiam, & infallibilem auctoritatem eorum, qui Dei exiſtentis doctrinam humano generi promulgarunt, argumentis à vitæ ſanctitate & miraculis, tu occurris, vituperando eam vitæ ſanctimoniam, quæ adſciſcit voluntarias cruces, quæ ſola eminet inter vulgares Chriſto confixos: miracula verò cenſes, eſſe communia Deo & Diabolo, Chriſto & Antichriſto. Quæ ergò ſunt argumenta illa, quibus Deus iuit confirmatum & ſuam exiſtentiam, & auctoritatem Moyſis & Prophetarum, Chriſti & Apoſtolorum, & reliquorum Scriptorum canonicorum? Habeo ex

Cap. 8. §. 3. tuam sententiam de hac grauissima quæstione. Pono tua verba.

Ante omnia, Valeriane, meminisse debebas. Quæstionem de Controuersiarum norma inter Christianos agitari: Infideles huc admisceri (an per Scripturæ S. authoritatem ad fidem perduci possint) nihil fuit opus. Certè enim neq; Vos, quando Paganis fidem Christianam suadetis, ab Ecclesiæ authoritate argumenta ducitis, ridiculi alias futuri. Constat ex Iosepho Acosta, Iesuitas in India, dum Gentilibus conuertendis operam impendunt, non aliunde ferè ordiri solere, nisi vnde ordiri oportere, ratio ipsa, sensusq; communis, dictant. Nempe, ostendunt illis Cœlum, & Terram; euincuntq; esse aliquem, qui hæc condidit, & gubernat. Tum persuadere nituntur, Hominem esse Dei imaginem; corruptam tamen, per & propter peccatum. Deum tamen, cùm sit bonus, non omninò deseruisse hominem, reuelasse illi denuò voluntatem suam &c: Addendumq; foret: Reuelatam illam Dei voluntatem continere Libris quibusdam, quos ille scribi iussit. Et esse populum, qui Libros illos, vt depositum custodit. Si vellent, communicari posse; vt quid contineant Libri isti (quàm nempe sublimes Reuelationes,

quàm sancta præcepta, quàm dulces de vita meliore promissiones) illi quoq; scire possint: Hic ecce esset ad excitandum cognoscendæ voluntatis Dei desiderium rationabilis processus! In quo tamen prius etiam Scripturæ, seu Libri reuelationum Dei, mentionem fieri oportet, quàm populi, apud quem asseruatur; i. e. Ecclesiæ. Stultè ibi controuersiam, Scripturæne an Ecclesiæ authoritas maior sit, admisceas. Hæc inter nos iam Christianos agitatur: atq; vtinam inchoata fuisset nunquam!

Vlrice! in hoc textu ex parte tibi constas; in reliqua mihi elaberis. Tibi constas in eo, quòd inter argumenta idonea vocandis Infidelibus ad Ecclesiam nec miracula commemoras, nec vitæ sanctitatem. Valdè vereor, fugam tuam ab hisce argumentis, esse cautelam ex metu, ne hæc à vobis postulentur: sed elaberis mihi, si te præhendo, & compello producere argumenta Diuinæ existentiæ, reuelationis factæ Moysi, & Prophetis, Christo & Apostolis; & quod hi nec decipiant, nec decipiantur in testificatione reuelatæ doctrinæ. Quid enim respondisset A-

costa, quid Tu, quid alius quiuis illi Infideli, qui spectatis Cœlo, & terrâ, intulisset Deum Aristotelicum, causam, scilicet, finalem Mundi existentis ab æterno? Animam corruptibilem cum corpore humano, & (vt contigit hac nostrâ ætate) subintulisset, Moysen Iudæum, IESVM à Nazareth, & Mahomet Arabem, esse tres Orbis impostores? Deus, cum sibi fidem quæsiuit ab humano genere, non est prosecutus doctas fabulas; sed ea statuit fidei argumenta, ac fundamenta, quæ sint potissima captiuare in obsequium Christi omnem altitudinem intellectus, extollentem se aduersus scientiam Dei. Cuiusmodi ergò sunt argumenta hæc? Ne hilum habet Tractatus tuus, quod huc reponam. At vereor, Vlrice, inducas Iosephum Acostam fide non satis candida. Vix puto, eum tanto studio auocare Infideles à commemorandis patratis miraculis, & vitæ sanctitate. Suspicionem auget, quod reformidasti, fugam tuam à vitæ sanctitate &

mira-

miraculis, iri reprehensum à Valeriano, & à Catholicis; sed præoccupasti me sequenti textu, quo reprehensus, dilueres obiectam maculam. Videam quid dicas. Ais ergò immediatè post præfatum tuum textum: *Deinde; meminiße decuit, non eße quæstionem de fidei primis initiis (quæ ab Ecclesia, & per Ecclesiam, venire, lubentes fatemur) sed de vltima fidei securitate, super quam basin illa sit locanda, ne vacillet. Quam, sic consideratam, non ab humana authoritate suspendi, sed ad Deum referri, oportere, non tam absurdè statuunt, qui statuunt. Deo enim semper potius deferre, quàm Homini; illuminationemq; & salutem suam in eius potius, quàm hominis manu ponere, tutius.*

Obscurè satis: videris tamen innuere, quod illi, qui statuunt, Deo esse credendum, dissimulatis quæstionibus, an Deus existat, & aliis sæpe commemoratis, id non tam absurdè statuant. Clarius. Censes, non esse vsq; adeò absurdum, credere Deo, Symbolum fidei Christianæ, velut Deo teste, sit verum, prætermissâ omni inquisitióne, an Deus ex-

us exiſtat? an reuelauerit Symbolũ fidei? per quos hominũ reuelauerit? an hi homines decipiãt, aut decipiantur?

Ergò per te abſurdè, quamuis non tam abſurdè, vt fortaſſis ego exiſtimo. En, Vlrice, id omne, quod tu habes directè contrà meam Sententiam de Catholica credendi regulâ. Quod reliquum eſt tui Tractatus, eſt mera petitio principij, & in pleriſq; turpius deficis à rectâ ratione argumentandi. Ridiculè aſſeris, ſeu ſupponis Diuinam exiſtentiam, reuelationem à Deo factam, Moyſis & Prophetarum, Chriſti & Apoſtolorum, & Scriptorum canonicorum auctoritatem infallibilem, adductis teſtibus Sacrarum Literarum. Erras verò turpius, cùm inducis Picos, Canos, Acoſtas, Stapletonos, Echios, Bellarminos, Auguſtinos, & alios eiuſmodi. Scis enim conueniſſe inter nos, nulli hominum eſſe præſtandam fidem, vbi non adſint rationes, ex quibus certò conſtet, eos nec decipi, nec decipere. Liceret ergò ſine vlla

iniuriâ tibi valedicere, velut confutatissimo: quippe qui nil dixeris, quod spectet ad eam quæstionem, cuius absurditates in ipso tui Operis titulo prænunciasti, velut ingentes.

CAPVT X.

Vlricus præoccupauit omnia effugia, per quæ elabi possit.

ATtamen puto iri consultum simplicioribus, si reuelauero, qua fide, quibusue argumentis & miracula sustuleris, & voluntarias cruces reprehendas, hasq; negationes transferas ad confutandam Catholicam credendi regulam. Satis tamen circumspectus es in præcauenda reprehensione. Si vna negatione non tibi caues sufficienter, alteram subornas, adhibendam, sicubi mea redargutio id postulet. Sufficeret tibi, si posses euincere, Miracula cessasse in Christo & Apostolis: nam nulla essent, quæ distinguerent inter Catholicos, & Biblistas. Hoc ergò

ergò asseris. Verùm; quo loco stares, Vlrice, si probarem, inter Catholicos patrari omni ætate miracula quamplurima, eaq́; ingentia? Puto detrahenda esset auctoritas narrantibus, & probandum etiam auctoritate Doctorum Catholicorum, eiusmodi historias esse fabulas, conficta mendacia, somnia, Dæmonum præstigia, muliercularum deliria. Detraxisti. Quid si demonstrarem, Deum debuisse secernere Catholicos ab Hæreticis, signis, portentis, ac varijs Spiritus S. distributionibus; simulq́; documenta adducerem, ex quibus certo certius constaret, patrari passim miracula quauis ætate apud Catholicos? Quid effugij adinuenires? Tùm puto diceres opportunè, Miracula communia esse, Deo, Diabolo, Christo & Antichristo. Dixisti. Verùm, si hinc ostenderem, nil argumentorum superesse, quibus Diuinam existentiam, Moysis & Prophetarum, Christi & Apostolorum, Scriptorum canonicorum, & Ecclesiæ

auctoritatem assererem immunem ab actiua & passiua deceptione, quid diceres? Ego certè in hisce angustijs constitutus, collaudarem simplicitatem fidei, quæ dissimulatis hisce quæstionibus, Deo qualitercumq; cognito inhæret. Collaudasti. Quod si vrgerer acrius, demonstrare Deũ existentem, & vindicare homines ministros diuinæ reuelationis à suspicione falsi. Scis, Vlrice, quid facerem? Laterem sub ficto nomine. Lates haud dubium, quia te tui pudet: non tamen apud simpliciores, qui proculdubio suspicient tertio quoq; verbo allegatas à te Sacras Literas, & derisam à te Catholicam credendi regulam. Melius tamen meo iudicio fecisses, si tacuisses, prout fecere alij, egregij Doctores vestrates, Io: Maior, Iacobus Martini, Io: Botsaccus, & alij te multò prudentiores. Heu, quot diuerticulis mihi elaberis!

CAPVT VNDECIMVM.

Vlricus probat per Doctores Catholicos & cessasse miracula post Apostolos, & nunquam cessasse.

SEd adiuro te per Deum immortalem. Siste tuam fugam; & persiste mecum in proposita quæstione; dum seorsum expendo singula per ordinem. Dicis ergò, miracula cessasse in Christo & in Apostolis: quod, cùm multis in locis habeas, *Capite* tamen *21. §. 7.* ex instituto niteris probare: *Producendi sunt* (inquis) *testes, quorum fidem infirmare nequeas. Primùm in genere, qui Miracula in Ecclesia continuari negant.* Adducis autem Gregorium Magnum, D. Bernardum, Io: Fischerum Episcopum Roffensem, Salmeronem Iesuitam, Didacum Stella, cuius Auctoris hæc inter alia refers formalia verba: *Sic tu miraculis iam factis à Christo, ab Apostolis, & Sanctis credere debes: & non debes postulare alia signa, sicut isti nequissimi, & sceleratissimi Pharisæi.* Hæc ille. Tu verò me sic affaris: *Vides,*

Valeriane, in quorum numero censendus venias ipsismet tuis, si miracula crepare, aut illa tam importunè à Deo & hominibus postulare pergas. Scilicet, ad mentem Didaci, sum nequissimus, & sceleratissimus, eo titulo, quod afferam, miraculis innotescere diuinam existentiam, & consolidari auctoritatem proponentium doctrinam reuelatam. Non enim ego peto mihi edi miracula, vt credam; sed credo, dum recolo edita.

Hisce Auctoribus adiungis Marsilium ficinum, reprehendentem hanc impudentem nouorum miraculorum exactionem: nimirùm, vis, post ætatem Apostolorum nulla patrari miracula in Ecclesia Dei; & tamen mox subdis Becanum reddentem rationem, cur in Iapponia fiant plura miracula, quàm in Europâ; & Bellarminum recensentem *Lib*: 4. de Eccl: *Cap*: 14. qualiter omnibus Ecclesiæ sæculis fuerint viri sancti, dono miraculorum clari: & meritò quis miretur, cur tanto Auctore destruas, quod immediatè

supra

ſupra conſtruxiſti. Cogeris, Vlrice, poſterioribus priora tua deſtruere; cuius imprudentiæ, rationem non imprudentem, expono. Supra inducis Catholicos Doctores, quatenus euincas, miracula ceſſaſſe poſt ætatem Apoſtolorum: hic verò obliterare conaris miracula Capuccinorum auctoritate Bellarmini: Sic enim inquis: *Bellarminus toto decimoſexto ſæculo Thaumaturgum non nouit, præter Xauerium: tu cùm tuis 800. iactatis. Aut ergò iſti duo fallunt* (Becanus, & Bellarminus) *aut vos. Elige vtrum vis: ego iſta conciliare neſcio.*

Diſſidium hoc ego conciliabo. A Becano accipio, quod plura miracula fiant apud Infideles vocatos ad Eccleſiam, quàm apud Chriſtianos aggregatos Eccleſiæ. A Bellarmino autem accipio, omnibus Eccleſiæ ſæculis fuiſſe viros ſanctos dono miraculorum claros. Quod verò tu inferas, Bellarminum excludere miracula Capuccinorum, eò quod toto decimoſexto ſæculo non alia nouerit, quàm quæ S. Fran-

ciſcus Xauerius patrauit, eſt conſequentia, cuius meritò te pudeat. Vnde habes, Bellarminum non nouiſſe alia miracula, quàm quæ recenſuit *Lib: 4.* de Eccleſia *Cap: 14*? Vnde habes, Bellarminum commemoraſſe in illo libro omnes Sanctos quouis ſæculo claros miraculis? Debuiſſetne inſerere quæſtioni, quam ibi tractat, Sanctos omnes, quos commemorat Martyrologium Romanum? Tanto ne impetu inueheris in miracula Capuccinorum, vt etiam, tui oblitus, adhibeas Bellarminum teſtẽ continuatæ ſucceſſionis quouis ſæculo hominum, qui claruere vitæ ſanctitate, & miraculis? nec tamen tam pernicioſo impendio aſſequeris, quod inde comparare diſponebas? Sunt in hac tua deductione alia quoq;, quæ olent incircumſpectiſſimum tuum argumentandi modum. Noſti ex illo ipſo Tractatu meo, quem confutas, Catholicós auctoritatem huius vel illius Patris, aut Theologi, non eſſe credendi regulam: ad quid ergò me

gò me vrges eiusmodi auctoritatibus? Es mihi suspectus in hisce citationibus; & fortassis paulò infra te conuincam de crimine falsi. Scio, neminem Catholicorum, qui sapiat, hoc dicere, aut sentire, quod tu illis imputas: & dato, quod aliquis, quicumq; ille sit, tecum sentiat, illum ago, tecum despicere. Successio non interrupta hominum, qui claruere vitæ sanctitate & miraculis quauis ætate, est tam comperta, vt dubitem, sitne stultior, quàm impudentior ille, qui vna negatione omnes illos clarissimos viros è medio tollit. Tam es peregrinus in Hierusalem, vt audeas inducere Iohannem Fischerum, dicentem: *Nemo enim est, qui nunc corporaliter Dœmonia eijcit, aut morbos sanat, &c:* nimirùm, apud vos horum est tam altum silentium, vt facilè existimetis, cessasse in Ecclesia post ætatem Apostolorum, exorcismum contra Dœmones.

Memini, cum Serenissimus Dux Saxoniæ S. R. I. Elector occuparet

Pragam, me Ecclesiarum vestrarum Ministris, detrectantibus mecum publicè disputare, proposuisse de consensu eorum, qui rem bellicam administrabant, hac conditionem. Adhiberemus ego ab vna, illi ab altera parte exorcismum dato Energumeno: Ego sub conditione veritatis fidei Catholicæ; illi sub conditione veritatis Confessionis Augustanæ: spectarentq;, qui vellent, exitum exorcismi; fortassis visuri exemplum Diuinæ seueritatis in eos, qui infandâ temeritate ausi fuissent adiurare Dœmonē, ex vi fidei corruptæ. Sed frustrà institi definire exorcismo quæstiones controuersas: cùm non esset, qui id periculi subire vellet.

CAPVT XII.

Quod quidam falsa miracula retulerint, non detrahit fidem omnibus Historicis narrantibus miracula.

NOn ergò satis feliciter succedit meo Vlrico illata cessatio miraculo-

culorum post Apostolorum ætatem: ea propter pergit detrahere fidem narrantibus miracula. Sic enim inquis eodem *Cap.* 21. §. 12. statim post tua verba vltimò citata: *Si tamen defendere tuos pergis, alia duo sequuntur. Aut tam obscura fuiße vestra illa (Capuccinorum) miracula, & miraculorum patratores, vt nemini innotuerint: aut alios Ordines inuidere Ordini vestro sanctitatis gloriam, ideoq́ datâ operâ Sanctos vestros dissimulare, præterire, negare. Elige vtrumuis: argumentum meum perstabit. Verè enim sancti, cum veris Miraculis suis, sunt Lux illa Dei, super Candelabrum Ecclesiæ, Orbi conspicuè (vt sæpius inculcas) posita: neq; ignorari, neq; negari poßunt: præsertim apud vos, vbi omnes ore aperto talibus inhiatis, vt vel ad leuissimam sanctitatis & miraculi suspicionem clamoribus impleantur omnia.*

Age igitur, mi Vlrice, & ostende obscuritatem, & miraculorum, & eorum, qui patrarunt miracula. Inducis Melchiorem Canum *lib:* 2. *loc: commun: Cap:* 6. dicentem, seu vt tu dicis, tragicè conquerentem. *Quantis fabulis historiæ*

Sanctorum conspurcatæ sint. Nec ego (inquit Canus) *auctorem illius Libri ex uso, qui speculum exemplorum inscribitur: nec historiam etiam eius, quæ Legenda aurea nominatur. In illo enim Miraculorum sæpius monstra, quàm vera miracula legas: hanc verò homo scripsit ferrei oris, plumbei cordis, animi certè parum seueri & prudentis.*

Cano succedit Baptista Mantuanus, qui negauerit pleraque miracula tributa Siluestro 1. Pontifici Romano. Postea inducis Baronium ad Annum 109. n. 49. tribuentem simplicitati, quod Gregorius Turonensis Episcopus pleraq; falsa miracula literis commendarit. Eundem Baronium repetis ad An. 98. n. 19. dicentem: *Studium iniquitatis fingendi Miracula, mox decedentibus Apostolis cœpisse.* Succedit Cassander, qui nostra ætate in Consult: Art: 21. scribit: *Nouorum Sanctorum cultum, figmenta Historiarum, & imposturas Miraculorum mirificè auxisse.* Reproducis Canum *Lib: 11.* Locorum Theol: *cap: 6.* hæc dicentem: *Nostri plerique vel affectibus inseruiunt, vel de indu-*

industria quoq; multa confingunt, vt eorum me non solùm pudeat, sed etiam tædeat, &c. Et deinde: Negare non poßumus, Viros alioquin grauissimos, in diuorum prodigijs describendis sparsos rumores & accepiße, & scriptis etiam ad posteros retuliße.

Non mihi vacat, Vlrice, videre in fonte Auctores à te citatos, licet sim dubius valde de tua fide in huiusce modi citationibus. Dixerint Canus, Baptista Mantuanus, Baronius, Cassander, & alij sexcenti id quod de illorum sententia refers, quid inde infers? Si infers: Ergò nulli historico narranti vitæ sanctitatem, & miracula, est adhibenda fides, ridiculus es. Sin verò infers, adhibendum esse examen, ne Historicorum vel simplicitate, vel malitia decipiamur, tecum sentio. Repete ex meo Tractatu de Catholicorum credendi regula *Lib: 8. Cap: 19.* quæ Concilij Trid: Patres *Seß: 25.* præcipiunt de modo examinandi noua miracula, nouasq; reliquias; quæuè VRBANVS VIII. adiecit latâ insuper seueri-

seueriore lege pœnali. Omitto antiquiora, & intellige, non esse possibile, sic cohibere scribentium licentiam in Orbe, vt Ecclesiæ cautum sit ab omni imprudentia & malitia Historicorum: quapropter sufficit viro non insano, si eiusmodi incommoda non solùm non obueniant ab auctoritate publicâ; sed per auctoritatem publicam prohibeantur, & illata emendentur, puniantur q; qui sunt culpabiles.

CAPVT XIII.

Quomodo miracula inferant diuinam existentiam.

NOn successit tibi illata cessatio miraculorum post Apostolos: neque succedit detrahere fidem omnibus commemorantibus vitæ sanctitatem, & miracula; & tamen aut vobis fugiendum est, aut tollenda constantissimè miracula. Sic enim inquis Cap: 21. §. 4.

Hæc tutoties, & alias sæpè: vt necesse sit aut

fugere

fugere nos, causâ desertâ, aut opponere ictibus ictus, aut deniq; tam superba illa tibi excutere arma. Fugere, bonæ causæ fiducia prohibet. Ictus repercussos, forsan iam sensisti. Sed & spero fieri posse, vt tibi Herculi claua extorqueatur tua: vt terrori esse desinas. Id nunc tentabo: non vi ingenij, sed vi propriæ confessionis tuæ; & vi iustitiæ; & vi veritatis; & vi Obedientiæ, quam summo & æterno Ecclesiæ præsidi omnes ex æquo debemus, Deo.

Me Hercle, non me terret monstrum hoc, & Clauam adhuc manu gero. Aggredere; quid reliqui habes contra miracula? *Miracula,* inquis, *communia sunt Deo & Diabolo, Christo & AntiChristo.* O Monstrum! Paulò honestiùs erupisses in hanc sententiam, si ex tuo Tractatu non constaret, miracula duntaxat post ætatem Apostolorum patrata, esse tibi melesta, & exosa; quibus, cùm nequiueris detrahere fidem historicam, niteris detrahere omnem vim confirmandæ fidei Christianæ: siquidem ea sint communia Deo, Diabolo, Christo, & Antichristo. Videris ergò delapsus

psus in hanc blasphemiam ex mera desperatione defendendæ Biblisticæ regulæ credendi, si vigeat miraculorum historica fides, & energia in confirmanda fide: nimirùm, impetum facis in Ecclesiam Catholicam illo argumento, quod simul pote sit, si verum esset, euertere ipsum Christianismum.

Sed nolo stylum acuere in tantum errorem, nisi prius constet ex tuo, & ex meo textu, quænam sint miracula illa, de quibus asseris communia esse Deo, Diabolo, Christo, & Antichristo. Enimuerò, si tibi constas, excludis miracula illa, quæ ego in meo Tractatu non semel, sed sæpius aio, esse necessaria inferendæ diuinæ existentiæ, & confirmandæ doctrinæ reuelatæ: quapropter, volo reponere hoc loco aliquos textus ex illo tractatu, quem tu confutas.

Libro 2. Cap. 9. n. 9 & 10. hæc habeo: Hinc tandem colligitur. quòd hæc argumenta, conciliantia fidem certam & infallibilem proponentibus reuela-

tam

tam doctrinam, debent esse actiones, quæ in nullum aliud agens referri possunt, quàm in Deum, vt est principium reuelans hanc doctrinam, per determinatos homines, reliquis hominib⁹: si enim in aliud primum agens referri possent, Dei existentiam non proderent, aut manifestarent sufficienter.

Neq; obstat, si dicatur, Dei existentiam naturali lumine nostri intellectus inuestigari posse: nam ex decem millibus hominum, vix vnus est Philosophus: ex omnibus verò Philosophis destitutis lumine fidei, ne vnus quidem ritè intellexit Dei existentiam: Deum enim non ritè intelligebant, quem negabant Creatorem, & cui adimebant prouidentiam.

Clarissima est mea sententia, Vlrice; sed tibi quærenti nodum in scirpo sit obscura, adijcio ex *Lib. 8.* Caput tertium, vbi sic declaro, quomodo miracula inferant diuinam existentiam.

Sed nonnullus quærat rationem, seu causam incommutabilis, & æternæ neces-

necessitatis, ob quam is cætus sit vera Ecclesia, qui solus in Orbe claret Regeneratis: (Illa enim Propositio debet esse incommutabiliter vera, vt conclusio sit certa.) Cur enim sit impossibile, eiusmodi cætum Christianorum non esse veram Dei Ecclesiàm? Diuina existentia non est tam facilè cohibenda. Accedit, quòd ea demùm videtur vera Ecclesia, cuius doctrina consonat cum sacro textu. Cœlum enim, & terra transibunt; verba autem Dei non præteribunt.

Fateor, Charissimi, Propositionem illam, esse velut cardinem, circum quem voluitur vniuersa fides nostra: & propterea videtur continere obuiam veritatem.

Nonne existimatis, esse ridiculam eam Quæstionem, in qua dubitatur, quisnam ex multis cætibus v. g. Fabrorum, excellat super reliquos? Certè non insanus dixerit, illum excellere, in quo opera fabrilia excellunt super reliqua eiusdem artis opificia.

Cuius

Cuius rei gratiâ conueniunt in vnum cætum plures Christiani? Haud dubium, vt regenerentur. Baptisma enim, quo initiamur Christo, est, ac dicitur Sacramentum Regenerationis: *Gal. 6. 15. In Christo enim Iesu, neq; Circumcisio aliquid valet, neq; præputium, sed noua creatura.* Ecquid est vita æterna? Nil aliud, quàm perfecta Regeneratio. *Matth. 19. 28. In Regeneratione* (Inquit Saluator) *cùm sederit filius hominis in sede Maiestatis suæ.* Quid igitur est homo regeneratus clarus in Orbe? Est specimen eius artis, quæ practicatur in cætu Christianorum. Est, inquam, Ein Maisterstück veræ Ecclesiæ Dei.

Nihilominus, volo paulò accuratius exponere; vt Miracula innuant veram Ecclesiam. Vix enim intelligimus rem vllam, quam non possimus multò clarius cognoscere.

Suppono, notitiam diuinæ existentiæ esse fundamentum fidei Christianæ. *Hebr. 11. 6. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est.* Hanc Philosophi

phi demonstrarunt per naturales effectus: nimirùm necessarium est, motum vniuersæ naturæ in suos fines deriuari à mouente, quod à nullo superiore principio moueatur: quod mouens immobile nominant Deum. Verùm natura semper mouetur ijsdem motibus, agitq; eosdem effectus: v.g. Sydera oriuntur, & occidunt, seruatâ immutabiliter eâdem periodo; & temporis mensurâ: Sol semper illuminat: Ignis calefacit: Aqua humectat: Terra fertur ad centrum. Hinc factum, quod irrepsit in Gentilium Philosophiam constans sententia, naturam operari necessariò; cùm tamen tota illa necessitas pendeat à nutu primi mouentis: Id enim cùm sit Deus, est & arbitrio liber. Equidem Philosophi ex Christianis id norunt: qui autem citra lumen fidei, demonstrare conati sunt primas rerum causas, penè omnes constantiam illam primi mouentis arbitrati sunt esse eius fatalem necessitatem; non autem liberæ voluntatis decretum,

cretum, quo Deus ſtatuat naturalia in æternum, & in ſæculum ſæculi, ponatq́ue præceptum, quod non prætereat. Hinc factum, quod illorum præcipui, & Anteſignani exiſtimarũt, ſe, ex conſtanti, ſemperq́; rerum naturalium ordine in ſuos fines, demonſtraſſe abſolutam neceſſitatem motus à primo mouente; vnde irrepſit apud plerosq́; ſententia, quod Deus non aliam gerat huius mundi prouidentiam, quàm quæ impletur æterno Cœlorum motu: imò nec mundi creationem potuerunt componere cum ea neceſſitate. Quapropter apud eiuſmodi Philoſophos haud ſatis conſtabat, Deum eſſe Iudicem, qui reddat vnicuiq́; iuxta opera ſua. Vnde Ariſtoteles Philoſophorum Princeps ſeſe, aliosq́; ſecum merſit tenebris aſſerti temporis æterni; qua ratione nulla conſiſtit fides in Deum: Quis enim Deum colat, à quo bonus nil boni, & malus nil mali ſibi promittat? Accedentem enim ad Deum oportet credere, non ſolùm quia eſt; ſed

ſed inſuper, quia inquirentibus ſe, remunerator ſit.

Porrò conſtantia rerum naturalium apud humanam mentem, tenebris ſenſibilium præoccupatam, tàm apparentem infert neceſſitatem ineuitabilem motuum, qui à primo mouente deriuantur in naturam vniuerſam, vt non alia ratione conuenientiore poterit ſolui argumentum hoc, quàm ſi primum mouens nullo ſeruato ordine, mutet ad ſuum nutum illum tàm conſtantem, tamq; imperturbatum ordinem rerum naturalium: vt inde diſcerent homines, eam conſtantiam eſſe tribuendam liberæ voluntati primi mouentis: quandoquidem ſæpius efficiat pleraq; ſupra, & contra totius naturæ ordinem: quæ actiones communi vocabulo nuncupantur Miracula; eo quod nil poſſit humano generi accidere mirabilius, quàm ſi mutetur ordo naturæ; cuius conſtantiæ imperturbatæ aſſueuimus, non ſolùm ab infantiâ; ſed & vniuerſum genus noſtrum eidem aſſueuit à mundi exordio. Et,

Et, si Vestra Prudentia accuratius perpendat perniciosissimas has humani generis tenebras, quas tantopere Philosophorum Princeps exornat specioso scientiæ titulo, fortassis mecum ridebit eos omnes, qui existiment posse, congruentem absq; miraculis conciliari Deo fidem apud homines.

Crediderim tamen, potuisse Deum eò vsq; purgare alicuius Philosophi mentem à tenebris sensibilium, vt hic esset auctor veræ Philosophiæ, per quã hominum magna pars trahi potuisset ad scientiam, seu opinionem, quod Deus sit, & quod inquirentibus se remunerator sit. Verùm, si Deus nullam vnquam actionem, nobis spectantibus, edidisset, qua vel bonos præmio, vel malos pænâ cumulasset; sed cuncta voluisset decurrere secundùm naturæ immutatum ordinem, paucos habuisset cultores, qui aliquod obsequium insigne sibi exhibuissent. Deum hi fuissent venerati à longe, & sese infercijssent saginâ. Verùm, si dedisset codicem,

cem, qui ſtatueret, Deum eſſe inquirentibus ſe remuneratorem; legemq; nobis præſcripſiſſet; nec tamen vllo argumento naturali, nec vllo miraculo comprobaſſet ſuam exiſtentiam, & erga humanum genus ſuam peculiarem prouidentiam; vos ipſi cenſete, quo effectu quæſiuiſſet ſibi Deus fidem, & cultum apud homines. Hoc loco reponite ſacra Biblia, ſi ea non ſibi deriuent auctoritatem à Miraculis, relatis ad doctrinam, & legem, quam continent. Quis enim hominum citra vllum argumentum, vllamue auctoritatem diuinam, ſibi perſuadeat, v. g. Deum Trinum, & Vnum?

Deum factum hominem, paſſum, mortuum, & ſepultum?

Animas defunctorum reſurrecturas cum illo ipſo corpore indiuiduo, quod corruptum pridem viuificabant?

Quis ſuper ea doctrina odiſſet Patrem, Matrem, Fratres, Sorores, Vxorem, nec non & animam ſuam, & venditis omnibus, quæ habet, ac in paupe-

res

res cunctis erogatis, quæsijsset sibi cruces, quas viuens in carne deguster?

Heus Biblistæ! reuocate mentem, ac intelligite opera Dei, quibus confirmatum vult Verbum suum, siue illud ponatur scriptum, siue quomodolibet aliter traditum. Hæc Valerianus loco citato.

CAPVT XIV.

Christus magis prouocauit ad miracula, quàm ad sacrum textum.

HIs traditis, prosequor Caput Quartum sub titulo: inscripto huic capiti: scilicet:

Cùm verò occurritis argumento ducto à miraculis; dicendo, & Antichristum editurum Miracula, quibus decipiantur homines moribus corrupti, iuxta illud: *Isa. 6. 10. Excæca cor populi huius*; haud possum satis effari, quàm vos (si tamen id obijcitis) habeam suspectos, non solùm prauæ doctrinæ, sed & impugnatæ veritatis agnitæ. Nimirùm, ad eam argumentorum inopi-

am eſtis redacti, vt vobis ſit impoſſibi-
le, veſtram defenſare hæreſim, ni dica-
tis, Deum iratum Catholicis, quòd
vobiſcum non conſentiant in fide, eoſ-
dem agere præcipites ad cæcitatem,
& impænitentiam, adornando hære-
ſes noſtras æternâ vitæ ſanctimonia,
mentis exceſſu, prophetiâ, mortuo-
rum reſurrectione, alijſq; innumeris
miraculis, quatenus ſecurius decipia-
mur. Vos verò, qui iactatis veram fi-
dem, noſit ſic inclareſcere; & tamen
iubeat, Orbem ſecedere ab ea fide,
quam, vti ſupra, exornat; & vobiſcum
communicare, quos, nuper natos, nil
diuinum commendat: nam non aliud
vrgetis, quàm ſacri Textus ſenſum,
quem quilibet & quælibet priuato ſcru-
tinio opponit expoſitioni, quam dat
vniuerſa Eccleſia, propagata totis mil-
le quadringentis annis. Chariſſimi;
planè exiſtimo, pudere vos horum; ſed
fortaſſis plus erubeſcitis retractare
ſententiam, quàm pudeat adſtruere
illam tam ridiculè. Quapropter adhi-
beo

beo aliud argumentum, cui acquiescere debetis, ni ipſum Chriſtum dicatis Orbis impoſtorem.

Suppono vobiſcum, Iohannem Baptiſtam eſſe pluſquam Prophetam, nec inter natos mulierum ſurrexiſſe aliquem maiorem illo. Hic ſolemniter interrogatus à Synagoga Iudæorum; quis eſſet? Reſpondit, ſe non eſſe Chriſtum; ſed eum, quem prædixit Iſaias, dicens in perſona Iohannis: *Iſa 40. Ego vox clamantis in deſerto: dirigite viam Domini.* Hic ergò poſtridie eius reſponſi dati Iudæis, viſo Ieſu veniente ad ſe, ait: *Ioh. 1. 29. Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Hoc teſtimonium habet *Matthæus Cap. 3. Marcus Cap 1. Lucas Cap. 3. Iohannes Cap. 1.* Conſpirant ergò in vnum Iſaias, & Euangeliſtæ omnes, & Iohannes Baptiſta. Potuitne dogma vllum Chriſtianæ fidei confirmari auctoritate ſacri textus efficacius? Hiſce adiungite reliqua oracula de Chriſto, quæ habentur in Moyſe, Pſalmis, & Prophetis.

At notet Eruditio Veſtra, quid ſen-

tiat Christus de vniuerso hoc testimonio. Refert *Io: Cap. 5* Iudæos propterea voluisse interficere Christum, quia non solùm soluebat Sabbatum; sed & Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo. Quid ad hæc dixit Saluator? Notate verba.

Si ego (inquit) *testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum non est verum. Alius est, qui testimonium perhibet de me: & scio, quiā verum est testimonium, quod perhibet de me. Vos misistis ad Iohannem, & testimonium perhibuit veritati. Ego autem non ab homine testimonium accipio: sed hæc dico, vt vos salui sitis. Ille erat lucerna ardens, & lucens, vos autem voluistis ad horam exultare in luce eius. Ego autem habeo testimonium maius Iohanne. Opera enim, quæ dedit mihi Pater, vt perficiam ea, ipsa opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me, &c:*

Horum verborum, vt nostis, hic est sensus. Iohannes pronunciauit, quod Deus me miserit humani generis Redemptorem; at hoc ipsum melius testantur opera, quæ dedit mihi Pater, vt faciam.

At ſit verum id, quod opponitis Catholicis, argumentantibus ab editis miraculis in Eccleſia noſtra, ſcilicet: Deus per homines in fide corruptos, edit miracula, quibus mali magis indureſcant.

Sit, inquam, hæc propoſitio vera; ſtatim aſſurgit vehemens; ſuſpicio, imò iudicium, quòd Deus dederit IESV Nazareno ea patrare opera diuina, quibus obduretur, deteſtatus illius temeritatem, quod ſoluerit Sabbathum. Quid enim erat, cur magis Sabbathum. Quid enim erat, cur magis Sabbathis curaret infirmos, quàm reliquis diebus? Execratus etiam eius blaſphemiam, quòd ſe diceret Filium Dei, æqualem Deo. Cur ſic non ſentiam? IESVS cernebatur homo in carne mortali; nec aliud æquè damnabant Moyſes, Prophetæ, quàm Deorum pluralitatem, & tamen audebat veritati tàm manifeſtæ in Philoſophiâ, tàm conteſtatæ in ſacris literis, opponere opera diuina, quibus ſe aſſereret

Dei filium, Deo Patri æqualem? Id Iudæis innuebat Deorum dualitatem. Si miracula eduntur in testimonium falsæ doctrinæ, facessat IESVS cum suis operibus; ego vel ero Iudæus; vel Philosophus in puris naturalibus. En, quo vos ducit fuga vestra ab eâ fide, quam miracula contestantur veram!

Itaq; candidè profiteor, me, illum hominé, qui negét hanc Propositioné:

Ille Christianorum cætus, qui solus in Orbe claret Regeneratis; est vera Dei Ecclesia,

Existimare, quod vel agnitam impugnet veritatem, vel habeat mentem non satis sanam.

Et quidem inter Christianos hæc Quæstio non potest moueri sine iniuria in Christum: non solùm quod monuerit dignoscendos, ac dijudicandos esse diuersos cætus colentium Deum, sed maximè, quòd abituriens à nobis in Cœlum, dixerit hæc nouissima verba: *Marc. 16.* *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur: In nomine meo Dæmo-*

monia eijcient: Linguis loquentur nouis: Serpentes tollent: Et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: Super ægros manus imponent, & benè habebunt.

Subdit autem Euangelista: *Et Dominus quidem Iesus postquam loquutus est eis, assumptus est in Cælum, & sedet à dextris Dei.*

Sed optet nonnullus rescire, quid factum sit, Saluatore sublato in Cælum: Hoc innuit idem Euangelista his verbis, quibus claudit suam Euangelicam historiam: *illi autem profecti prædicauerunt vbiq; Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.* At notate, Christum non dixisse, signa secutura eos qui docuerint, vel singulos qui crediderint, sed eos, qui crediderint, scilicet Cœtũ, seu Ecclesiã credẽtium.

O quàm appositè ad vestram fidei regulam dixisset Christus: Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur: singuli & singulæ scrutabuntur ex sacris Literis, an Doctrina, quam vos Apostoli, & vobis successuri Ministri Ecclesiarum, proponetis credendam,

congruat cum sacris Literis. Id sanè fuisset tale miraculum, quale esset, si singulæ oues de grege educerent stabulo Greges Pastorum ad pascua. Ridetis? Et ego corrideo vobis. Hæc Valerianus loco citato.

CAPVT XV.

Miracula, quæ Vlricus ait communia esse Deo & Diabolo, Christo & Antichristo, sunt ad mentē illius, actiones supra ordinē totius naturæ.

EGo igitur, cùm produco Regeneratos claros miraculis, suppono actiones supernaturales, quas solus Creator efficere possit. Tu verò, cùm, euersurus meum argumentum, inquis, miracula esse communia Deo & Diabolo, Christo & Antichristo, si nō supponis vera miracula, nō argumentaris contra me; sed nugaris: sin verò supponis vera miracula, vel existimas, Diabolum, & Antichristum suapte potentia efficere posse id, quod Deus potest supra, & contra naturam; vel

De-

Deum ad nutum Diaboli, & Antichristi, patraturum verissima miracula. Vt vt sentias, pessimè mereris de tuis Biblistis, esq; scandalo vniuersæ Ecclesiæ hoc tuo effato. At ego non sic te onerauero calumnia, vt tu frequentius mecum agis. Volo ex tuo textu soluere propositam quæstionem, de eo quod sentis in hoc casu.

Itaq; *Cap.* 21, §. 21. hæc dicis: *Vltimus ictus ad excutiendum tibi Clauam tuam, hic erit. Ob quod fidem habere Doctrinæ alicui prohibemur, id Veritatis Doctrinæ index & Regula esse non potest. Atqui ob miracula fidem habere Doctrinis prohibemur. Ergò Miracula Veritatis Doctrinæ index & Regula esse non possunt.*

Maior per se patet. Regulam enim adhibere ad id, cuius Regula est, prohibere non potest: quin imò adhibenda ad id necessariò est. Quod ergò adhiberi prohibetur, & si adhibeatur deceptio prædicetur, id Regulam esse non posse, patet Minor probatur ex Deut. 13. vbi prohibet Deus credere, si quis idololatriã suadens, signa & portenta prædicat, etiamsi euenerit quod loquutus est, &c. Additq; causam: quia tentat vos Dominus

Deus vester; vt palam fiat, vtrum diligatis eum an non, in toto corde &c. Christus addidit: etiã si ipsi tales prodigia faciant, credendum non esse. surgent (inquit) Pseudochristi, & pseudoprophetæ; & dabunt signa magna, & prodigia, vt in errorem inducantur: si fieri posset: etiam electi. Ecce prædixi vobis. Et Apostolus, Antichristi aduentum in virtutibus, & signis & prodigijs deceptionem subesse ostendit, cauereq; monet. Nos ergò si fidei criterion constituimus Miracula; an non Antichristo (etiam vestro sensu considerato) arma in manum damus? Quod absit.

Sed, mi Vlrice, vereor, ne signa, & portenta commemorata *Deut.* 13. & signa & portenta commemorata à Christo, sint mendacia, vt inquit Apostolus; scilicet, Antichristum venturum in virtutibus, & signis, & prodigijs, mendacibus. Quid dicis? Ego referã ex tuo Tractatu; *Cap.* 20. §. 5. vbi prædixisti hanc meam obiectionem: dicis enim.

Sed tu hic effugium quæris, Antichristi prodigia vocari mendacia: ergò non vera erunt miracula (p. 2. p 433.) Sed contradicunt tibi multi

Vestra-

Vestratium. Stapletonus (in Prompt. Moralium Domin. 24. post Pentecosten loco 4. scribit: Ad maiorem fidelium probationem, etiam vera Miracula, non solum Antichristus ipse, eiusq; proximi præcursores, sed quilibet Hæretici, non secus quàm Magi, Deo permittente, operari poßunt. Quod autem Apostolus dicat signa, mendacia, aliter alij Vestri explicant, quàm Tu. Thomas part. 1. q. 114. art. 1. Etiamsi sint vera Antichristi miracula, ad mendacium tamen pertrahunt credituros. Lib. 2. Sent. dist. 7. Sect. 4. Antichristi signa dicuntur mendacia; quia fient intentione fallendi. Stapletonus (loco citato) Etsi vera sint prodigia, quoad actus supernaturales: non nisi mendacia tamen erunt, quia non nisi mendacio seruient, &c.

Itaq; existimas, Deum quandoq; patrare, & patraturum vera miracula, scilicet actiones, quarum solus Creator potest esse principium actiuum, idq; ad nutum Diaboli, Antichristi, & Pseudoprophetarum: nimirùm, aut vobis fugiendum est, aut eiusmodi blasphemiæ asserendæ sunt.

Hisce verò eatenus à te iactis fundamen-

damentis, apertiſſimè pronuncias, me perquirentem argumenta, quibus cōfirmatur Scripturæ, & Eccleſiæ auctoritas, & aſſerentem, eiuſmodi eſſe vera miracula, ſcilicet actiones, contra, & ſupra naturā vniuerſalem, à Deo editas in teſtimonium ſuæ exiſtentiæ, & doctrinæ reuelatæ, me, inquam, talia dicentem, aſſeris deceptum *Cap.* 15. §. 7. hiſce verbis:

Agnoſcas igitur velim, te ſuperius illud principium, ex quo (citra Scripturæ & Eccleſiæ authoritatem) cum quouis huminum genere inire certamen, captiuareq; in obſequium Chriſti omnem altitudinem Intellectus (vti loqueris Lib. 3. *Cap.* 6.) *poſſis, nondum reperiſſe. Miracula enim, in quæ reſoluuntur omnia tua, & vnde fidem, & authoritatem Regeneratorum, & ipſius Eccleſiæ ſuſpendis, tale medium non eſſe iam vidimus. Et fatentur id multi Veſtratium: interq; illos Bellarminus, qui (Lib.* 6. *de Gratia, & Lib. arb. Cap.* 1.) *ſcribit: Nulla eſt perſuaſio, quæ cogere poſſit hominem ad credendos Articulos, ſupernaturales: nec ipſa quidem Miracula mentem omninò conuincere poſſunt.*

Sit

Sit ergò ratum ex tuo textu, te asserere, vera miracula esse communia Deo, Diabolo, Christo, & Antichristo.

CAPVT XVI.

Energia miraculorum in confirmanda fide, probatur ex Euangelio.

ME pudet reprehendere argumentis errorem tam cæcum, in quem acuenda esset Satyra. Verùm, cùm animaduerta, vos vestro priuato scrutinio adornare ex sacro textu sententias, quantumcumq; falsas, imò fatuas, adhibebo vnum vel alterum fulcrū, quibus erigam vos labantes, proximosq; Atheismo. Si Deus edit vera miracula, ad nutum Diaboli, Antichristi, & Pseudoprophetarum, habeo vnde suspicer, Deū tot prodigijs, & portentis tribuisse auctoritatem Moysi, velut viro affectanti Imperium super Israëlem, inuasuro armata manu Regiones alienas, & perdituro populos innumerabiles. Habeo vnde suspicer, Deum edidisse verissima miracula, vt

cæcitate mentis percelleret eos omnes, qui deferebant, & credebant IESV à Nazareth, velut viro contra Legem Mosaycām soluenti Sabbathum, affectanti cultum, velut sit Deus, & inducenti Trinitatem Personarum in Deo Israël, cui olim dictum fuerit: *Audi Israel, Deus tuus, Deus vnus est.* Si miraculis non proditur diuina existentia, neque confirmatur doctrina reuelata, ad quid Deus in veteri Testamento instituit, atq; præcepit commemorationem annuarum, memoriamq; æternam præcipuorum prodigiorum, quæ fecit in beneficium populi illius, & futuri Christianismi? Scilicet, Quod occiderit primogenita Ægypti, seruatis primogenitis Israëlitarum: quod Israëlem transduxerit per mare rubrum sicco vestigio: quod annis 40. plueritmana de cælo constitutis in deserto: quod populo illi, velut proprio Dei peculio, legem dederit ex monte Sina: quod trāsmittens Iordanem cum sexcentis millibus armatorum, & promiscua plebe

be infinitâ, ſteterint aquæ ab vna parte intumeſcentes ad molem immenſam, euolutis in mare reliquis infra molem illam defluentibus: voluit, inquam, Deus horum, & ſimilium extare multiplicia documenta, & monimenta æterna: quæro abs te, cuius rei gratia? Dic mihi, cùm nonnulli Scribarum intra ſe murmurarent, quod IESVS peccata dimiſiſſet cuidam paralytico, dicentes *Marc. 2. Quid hic loquitur? Blaſphemat: Quis poteſt dimittere peccata niſi ſolus Deus?* Cùm, inquam, ſic murmurarent contra Chriſtum, quo textu ſacro aſſeruit ſibi auctoritatem remittendi peccata? Audi Chriſtum redarguentem Scribas illos. *Quid iſta cogitatis in cordibus veſtris? Quid eſt facilius dicere paralytico: Dimittuntur tibi peccata, an dicere: Surge, tolle grabatum tuum, & ambula? Vt autem ſciatis, quia filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata, ait paralytico, tibi dico, ſurge, tolle grabatum tuum, & vade in domum tuam: Et ſtatim ſurrexit ille, & ſublato grabato, abijt coram omnibus, ita vt mirarentur omnes, & ho-*

norifi-

norificarent Deum, dicentes, quoniam nunquam sic vidimus.

Verùm, si ad nutum Pseudoprophetarum facit Deus vera miracula, licuisset retorquere miraculum, vt esset argumentum, Deum voluisse obcæcare eos, qui contra legem Mosaycam, non lapidassent IESVM à Nazareth, blasphemantem, sibiq; arrogantem id iuris, quod soli Deo competit.

Neq; defuerunt ex Pharisæis, qui cognitâ, atq; perspectâ illuminatione cæci à natiuitate, audebant nihilominus detrahere Christo, ceu Pseudoprophetæ, & peccatori. Dixerunt enim illi cæco illuminato: *Io. 9. Da gloriam Deo, Nos scimus, quia hic homo peccator est.* At ille subintulit: *Si peccator est, nescio; Vnum scio, quia cæcus cum essem, modò video.* Quid illi? *Maledixerunt ergò ei, & dixerunt: Tu discipulus illius sis: nos autem Moysi discipuli sumus. Nos scimus, quia Moysi locutus est Deus: hunc autem nescimus, vnde sit. Respondit ille homo, & dixit eis, in hoc enim mirabile est, quia vos nescitis vnde sit, & aperuit meos oculos. Scimus*

mus autem, quia peccatores Deus non audit: sed si quis Dei cultor est, & voluntatem eius facit, hunc exaudit. A sæculo non est auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati. Nisi eßet hic homo à Deo, non poterat facere quicquam.

A cæco nato transeo ad Lazarum, mortuum à quatriduo; & percontor ex sacro textu, quid id sit, quod Christus sibi quæsiuit ex maximo omnium miraculorum, quæ patrauit? Dicit *Iohanes Cap* 11. sui Euangelij, quòd Iudæi, qui venerant plorantes cum Magdalena, dixerint: *Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere vt hic non moreretur:* IESVS verò reserato tumulo, in quo iacebat Lazarus, *eleuatis sursum oculis, dixit, Pater gratias ago tibi, quoniam audisti me. Ego autem sciebam, quia semper me audis, sed propter populum, qui circumstat, dixi, vt credant, quia tu me misisti. Hæc cùm dixisset, magna voce clamauit, Lazare, veni foras.*

Ergò Christus voluit hoc miraculo adducere Populum Iudæorum ad fidem suæ diuinitatis: tu verò doces, vera miracula communia esse Deo, Diabolo.

bolo, Christo, & Antichristo; & auctoritatem Sacræ Scripturæ non esse Logicè resoluendam in miracula. Si miracula patrata à Christo non inferunt, Sacros libros noui fœderis, ipsiusq; Christi auctoritatem infallibilem; vnde habent illi libri sacri auctoritatem? Certè Principes Sacerdotum, & Pharisæi, collecto Concilio aduersus IESVM, vt eum perderent, non sunt veriti oracula Prophetarum ex veteri Testamento, quæ facilè detorquere poterant in sensum, quem vellent. Timuerunt sibi à miraculis Christi, & præcipuè à resuscitato Lazaro, quem etiam cogitauerunt interficere, haud dubium, vt subornarent aliquos, dicturos, non fuisse Lazarum, qui visus est surgere de monumento, sed Dæmonem. Lazarum verò etiamnum fœtere in sepulchro. Dixerunt ergò collecti in Concilio: *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit, si dimittimus eum sic, omnes credent in eum &c.* Cùm verò Christo ingredienti Hierosolymam, sedenti super

per Asinam, turba, quæ erat cum eo, quando Lazarũ vocauit è monumento, testimonium perhiberet de Lazaro suscitato à mortuis, Pharisæi dixerunt ad semetipsos: *Ioh: 12. Videtis, quia nihil proficimus? Ecce mundus totus post eum abijt.* Abijtne, Vlrice, totus mundus post Christum propter miracula eius? Audesne id negare? Deinùm, peto abs te, quomodo Christi doctrina reliquis tradita, & confirmata est? Audi Paulum *Heb. 2.* soluentem hanc quæstionem: *Quæ cùm initium accepißet enarrari per Dominum: ab eis, qui audierunt, in nos confirmata est, contestante Deo signis, & portentis, & varijs virtutibus, & Spiritus S. distributionibus, secundum voluntatem suam.*

Hæc verò velim tibi sufficiant, quatenus intelligas, vera miracula connumerari inter potissima argumenta, quibus nobis constat de diuina existentia, de auctoritate Moysis & Prophetarum, Christi & Apostolorum, Scriptorumq; canonicorum, & veræ Ecclesiæ: neq; esse aliam rationem, cur

tanto-

tantoperè detrahas & fidem narrantibus miracula, & vim confirmandi sacram Doctrinā veris miraculis, quàm quòd, te teste, vos nullo inclarescatis miraculo. Sic enim inquis Cap. 4. tuæ Appendicis, §. 10. *Interim hoc non soluis, Antichristum, Christi simiam, miracula edere. Non enim nos hoc diximus, aut finximus, sed Apostolus: prædicens a fide discessionem, firmandam signis, & prodigijs mendacibus* (2. Thess. 2. à v. 3. ad 13.) *Quod Oraculum si diuinum est, impleri alicubi oportuit. Si putas in nobis: nos igitur Virtutes signa, & prodigia edimus, quibus doctrinam nouam, ab Apostolis diuersam, stabilimus. Atqui nos nulla edimus, nulla iactamus, (id quod nobis ipsemet exprobras) Ergò non nos illi sumus, in quos discessio illa torqueri possit.*

Scilicet, ad laudem Biblistarum, iactas nullitatem vestrorum miraculorum: ex nostris verò miraculis, infers discessionem nostram à verâ fide. Eò deuenere vestra priuata scrutinia sacri textus, vt in has sententias prorumpatis.

CAP-

CAPVT XVII.

Satisfit alijs argumentis Vlrici contra miracula.

SEd tu hoc loco occurris tuæ causæ labanti subtilitate nõ contẽnendâ. Capite enim *21. §. 6.* sic argumentaris: *Secundum neruum sumo à vi Iustitiæ, sic.* Ob *quod Vos nobis (in concertamine de Doctrinæ veritate) non haberetis fidem, ob id ipsum nos quoq; vobis habere fidem non tenemur. Atqui vos nobis ob Miracula fidem non haberetis. Ergò neq; nos vobis ob miracula fidem habere tenemur.*

Maior fundatur in ipso Naturæ iure Quod tibi fieri vis, aut non vis, hoc idem feceris, aut nè faceris alteri. Hoc naturæ ius Christus ipse vrget, illudq; Legem, & Prophetas esse dicit, Matth. 7. 12. Iniquus enim apertè est, qui ab altero exigit, quod ipse alios à se exigere non vult. Quantum ad Minorem, illam è Vestra, & Vestrorum confessione habemus. Inducis posteà plures Catholicos, velut sentiant, non esse credendum Hæreticis, tametsi adstruant dogma contra fidem Catholicam vero miraculo.

Respon-

Respondeo. Detur, quod Deus suscitet Lazarum mortuum quatriduanum in testimonium Diuinitatis IESV Christi: Detur, quod idem Deus suscitet alium mortuum quatriduanũ, in testimonium, quod IESVS Christus non sit Deus: scis; quid essem dicturus? Dicerem, Deum mentiri; aut lumen rationis, quod non admittit contradictoria, esse falsum: nimirùm, concesso vno horrendo absurdo, horrendissima subsequentur. Si Lutherani clarerent tot Regeneratis, quot Catholici, vel crederem illa duntaxat, in quæ conueniunt inuicem; vel mente confusus omnem fidem seponerem, quidquid dicant alij, siue Catholici, siue Acatholici.

Succedis alio argumento *Cap. 18. §. 1.* vbi sic ais: *Venio ad Regeneratos tuos: quos tales esse, & sic à populo suspici, qualiter descripsisti, periculosum esse dico Ecclesiæ Dei, quia superstitionis sunt illecebræ, ac fomenta.*

Heu, quantarum superstitionum causa fuit Deus, tot editis quauis ætate mi-

te miraculis! Cuius rei gratia, te Iudice, culpandi ſint illi, qui ſuis precibus importunis ſolicitarunt Deum ad tàm imprudentem, & pernicioſam miraculorum frequentiam. Tu ſuperſtitionis arguiſſes Cananæam, quæ tetigit fimbriam veſtimenti Chriſti, & ægrotos illos, qui vel vmbram Petri ſibi quærebant, qua ſanarentur.

Hiſce non contentus, *Cap. 18. §. 11. & 12.* adducis triplex incommodum proueniens à miraculis. Inquis enim: *Miracula deniq; ſic circumſpectare, vti Regula tua vult, pernicioſiſſimum eſt Eccleſiæ: Nempe vt Veritatis Doctrinæ ſigillum ſint. Triplex enim inde incommodum. Primò: Vileſcit ſic Verbum Dei, ſi nunquam ad illud, ſemper ad Miracula, prouocatio fiat. Scriptura certè, & Antiqui Patres, docent, Miraculorum ſub Eccleſiæ primordia non alium fuiſſe finem, quàm vt homines ad fidem Euangelio, & Scripturis habendam, adducerentur. Ideò paulatim ceſſabant, ſcribitq; Paulus, iam ſuo tempore vſurpata non fuiſſe, niſi propter infidelium reliquias. Signa, inquit, propter infideles; propter Fideles autem, Prophetia.*

Sem-

Semper itaq; Miracula velle, est homines semper infideles, aut in fide vacillantes, velle.

Secundò, per tale Miraculorum studium occasio datur Sathanæ, ludificandi nos: tum exigendo à nobis, per infideles, iactata miracula (quæ præstare non est nostrum, Deo autem edere illa temerè, nunquam est libitum:) tum opponendo miracula propria, per Iannem scilicet & Iambrem, Bonzios, Humos, aliaq; instrumenta sua. Tandem Miraculorum illa iactantia ad Atheismum viam satis apertè munit. Nam quemadmodum vera Miracula Dei existentiam inferunt (quod tu probas:) ita Miracula falsò iactata Religioni ludibrium certum afferunt.

Respondeo. Quando Iohannes & Paulus ante portam Templi, quæ dicitur Speciosa, dixerunt claudo petenti stipem: *In nomine D. N.* IESV *Christi surge & ambula*, ad quam vocem stetit & ambulauit qui erat claudus, peto abs te, an circumstans populus sit auocatus à Christo ad miraculum illud, vel vocatus ad Christum per miraculum illud? Desipis, Vlrice. Deinde. Dixine ego, necessum esse semper fieri miracula? necef-

necesse quidem est, patratorum miraculorum semper extare memoriam certissimam, alioquin neq; Iudæi, qui viuũt, crederẽt Moysi; neq; nos Moysi, Christo, & Apostolis. Quòd verò interdum fiant miracula, id puto magis fit, ad contestandam regenerationem alicuius Viri sancti, in recens exemplum pietatis Christianæ, quàm ad stabiliendam fidem; tametsi ea mirum in modum hisce Regeneratis elucescat. Cæterùm, sic reprehendis miracula à me adducta, quasi egò loquar non de miraculis veris, sed de falsis: si enim miracula, quæ commemoras, sint vera, ea necessariò habent Deum auctorem, & impudenter, & blasphemè illi obijcitur, quòd hisce miraculis pessum eat Ecclesia Christi, inducaturq; Atheismus. Vos Biblistæ indignamini contra miracula, quia hisce destituimini planè, nec video, te vel vnicum commemorasse in tui, & tuorum fauorem. Estis palmites præcisi à vite.

Perge consarcinare ex tuo Tractatu

potiora argumenta tua contra miracula. *Cap.* 4. tuæ Appendicis §. 8. Sic me reprehendis:

Sexto faſcinat te Miraculorum in Eccleſia neceſſitas, ac ſi, citra illa, fides haberi Deo prorſus nequeat. Dicis enim (p. 227. lin. 8.) ridendos eſſe eos omnes, qui exiſtiment, poſſe congruentem abſq; Miraculis conciliari Deo fidem apud homines. Et mox. Si Deus nullam vnquam actionem nobis ſpectantibus edidiſſet, ſed cuncta voluiſſet decurrere ſecundum naturæ immutatum ordinem, paucos habuiſſet cultores, qui aliquod obſequium inſigne ſibi exhibuiſſent. Mirum ergo Valeriane, te poſſe credere Deo, qui nullum edidiſti, nullum etiam vidiſti (vti aliquoties fateris) miraculum: ſed tantum edita per quoſdam eſſe credis. Nondum ergò apud te Deus plenam ſibi conciliauit fidem?

Reſpondeo. Duplex eſt auctoritas, qua nititur Chriſtiana fides. Vna Dei reuelantis. Altera Eccleſiæ proponẽtis, & explicantis doctrinam reuelatam. Miracula cum vitæ ſanctitate, repetita ſingulis ſæculis, ſæpius neceſſaria ſunt ad conciliandam Deo fidem apud

apud eos infideles, quibus nihil annunciatum est de Christo. Miracula, & vitæ sanctitas non sunt necessaria Fidelibus, quatenus credant Deo reuelanti: credunt enim: at verò non obsunt Miracula fidelibus; sed fidem erigunt, & acuunt. Miracula, & vitæ sanctitas necessaria sunt ad conciliandam auctoritatem Ecclesiæ proponenti, & explicanti apud fideles, tùm maximè, cùm Ecclesiarũ Pastores sunt moribus corrupti, cùmue sectæ Hæreticorum insultant contra Catholicos: cæterùm non dixi, videre miracula esse necessarium credituro, sed scire fuisse aliquando edita.

Capite tertio tuæ Appendicis §. 6. habes bellum argumentum, non absolutè contra Miracula, sed contra Miracula Capuccinorum. Sic nobis Capuccinis insultas:

Diuina miracula semper eduntur per illas ipsas Personas, quas Deus ad reformationem Mũdi, aut Ecclesiæ, adhibet Organa: vt de Noe, Moyse, Elia, Christo, Apostolis, constat. Dicite igitur

Capuccini; si verè diuina editis Miracula, quid per Vos in Mundo aut Ecclesia reformatum sit? quæ Gentes ad fidem vi Miraculorum vestrorum conuersæ? qui Hæretici, aut Schismatici reducti? aut saltē quid Ecclesia Domini per vos insigniter emendata? Et quia duodecim illi, quorum præcipuè Miracula descripsisti, fuerunt Opiliones; Bubulci, Agricolæ; Agasones, qui nullo priuato studio obstiterunt Sacras Literas (vt habes pag. 386.) dic obsecro, quid aliàs magnum egerint? quodne in ventos iret, si nemo animaduerteret? Deus signu illis homines excitatum ibat? si nihil ostendis, signa nobis das sine signato; vmbram sine corpore, colorem sine colorato, i. e. fucum.

Haud dubium, quin Deus consueuerit, vt ipse fateris, insigniri miraculis eos ex hominibus, quos destinauit ad aliquod grande, & vniuersale opus: ac proinde existimo, Lutherũ, & Caluinum, si fuissent à Deo destinati ad reformationem Ecclesiæ, debuisse condecorari à Deo potestate miraculorũ: Risi, Vlrice, seueritatem tuam contra Valerianum, quod homines illos dixerit impudicos. Tum commemorasses oppor-

opportunè eorum miracula, castitatem, vitamq; compositam ad normam Christi, & Apostolorum. Reformatio Ordinis Franciscani, facta per primæuos Capuccinos, poscebat, secundum regulas diuinæ prouidentiæ, creberrima miracula. Exordia præcipuorum Ordinum Regularium, omnia fuere miraculosa.

Quod verò nos Capuccinos censeas, nil aliud efficere in Ecclesia, quàm numerum, & vmbram, me prouocas ad dicendum illa, quæ postmodum, mihi vertas iactantiæ, & vanitati. Id tibi sufficiat, voluisse Deum, per Capuccinos, & alios eiusmodi Regulares, opponere supernaturalem obseruantiam consiliorum Euangelicorum petulantiæ vestræ, blasphemanti, & asserenti, mandata Dei esse obseruatu impossibilia.

Et quandoquidem ventū est ad miracula Capuccinorum, nolo reticere argumentum tuum, quo conaris, miracula nostra numerare inter fabulas.

Ita ſcribis *Cap. 3.* tuæ Append. §. 8. *Quod item à vobis Animalia bruta, Aſinos, Mulos, Boues, Pullos gallinaceos, à morte reſuſcitata ſcribis ad vitam, (Cap. 18.) fabulæ ſimillimum eſt. Nam homines interdum diuinâ virtute ad vitam reuocari, in futuræ Reſurrectionis ſignum, credimus; vt pateat, Animam hominis in morte, non vt brutorum, diſſolui, & in aëra ſpargi, ſed exire tantùm, & ſubſiſtere, redireq́; cùm iubet Deus. Vobis autem brutorum etiam Animæ extra corpus ſubſiſtunt, ire & redire poſſunt: Noua Theologia, noua etiam, Chriſto, Apoſtolis, Prophetis ignorata, producit miracula.*

Reſpondeo. Quando homo moritur, ſeparatur anima à corpore, & ſubſiſtit ſeparata, viuitq; ſine corpore: quod ſi per miraculum reſuſcitetur, qui erat mortuus, corpus reparatur ad vitam: Brutum cùm moritur, extinguitur anima eius, neq; ſubſiſtit extra corpus: at verò Deus potens eſt reparare corpus bruti de morte ad vitam. Tu verò infers: Ergò Valerianus, & Catholici, qui hoc aſſerunt factum, ſentiunt, & opinantur, animam Bruti

reui-

reuiuiſcentis ſubſtitiſſe ſeparatam à corpore. Negatur conſequentia. Mala fide nobiſcum agis, & contra conſcientiam tuam loqueris: tu enim ſatis noſti; nos non eſſe ita Aſinos, qui hæc opinemur. Nonne Deus poteſt ſufficere extincto Bruto nouam animam, à ſe productam?

Demùm toto diſputationis noſtræ theatro profugus, te te proripis à ratione ad ſenſú, dū petis, miracula fieri in Germania: Sic enim inquis *Cap. 21. §. 18.*

Tum verò hoc nobis craſſis Germanis ſupra modum ſuſpectum eſt, quod omnia illa Miracula extra noſtrum conſpectum patratis, nobis præſentibus nihil: cum tamen per illa nos conuertere quæratis. Da demonſtrandi, dicunt Grammaticæ tirones. Lacon autem ille, Hic Rhodus, hîc ſalta. Mi Valeriane, nè eripe nobis quod dediſti. Fidem ratio præcedat, Rationem ſenſus. Narras nobis tot Miracula, omnia in Italia, & Hiſpania, locis à te quidem nominatis, nobis tamen ignotis, edita: cur non vel vnum apud nos? Adeonè irregeniti ſunt noſtri hîc Capuccini Germani, vt non veſtro (Italorum, & Hiſpanorum) exemplo etiam ſecu-

ri manum extendant ad ea perpetranda Miracula, quæ intellexerint profutura saluti animarum? (vti loqueris p. 234.) Moues tu quidem hanc quæstionem ipse (394. & 395.) Non abs re, (inquiens) miretur quispiam, Deum non efficere in Germania ea miracula, quæ tam frequentia sunt inter meros Catholicos: magno namq; animarum emolumento ea patrarentur inter Hæreticos. Quid ergò respondes? Quæstio est, inquis, quam nolo definire. Quid ita, mi charissime? Indigni ne tibi adeò videmur, quibus mysterium aliquod communices? Nos apertè protestamur, Thomas eße nos, non nisi oculis & digitis nostris credere. Aut ergò nos Miraculis nè vrge, aut illa in conspectu nostro tamdiu, & tam accuratè ede, vt Ratione captiuetur Intellectus. Alias insani & ridiculi videbimur, Tibi etiam ipsi (pag. 219.) si commoueamur Annalium Vestrorum authoritate, quam nulla ratio infert immunem eße ab errore: imò rationes multæ, & detectæ alibi fraudis mille exempla, inferunt, errori prorsus eße obnoxiam.

Obseruastine, Vlrice, inter fraudes, quibus Venatores circumueniunt feras in syluis, illam, qua adornatur lo-

cus

cus aliquis, in quem se conijciat fera, velut in tutissimam latebram; qui locus calcatus hiscit, & misera bestia clauditur fouea? Vereor ego, incidisse te in foueam, dum Miracula petis in Germania: Vtinam ad salutem animæ tuæ. Frequentia sunt miracula & in Germania, tametsi ea ignores, tametsi ea non sint edita à Capuccinis. Perquire loca illa, ad id delecta à Diuinâ prouidentiâ, v. g. illa, vbi magno circumiacentiũ regionum concursu frequentiori cultu colitur Deus, & inuocantur Sancti, præcipuè verò Beatissima Virgo Mater Christi. Eiusmodi sũt Templa Deo sacra in honorem Deiparæ, Oettingæ, Cellæ, Mergẽtheimij Passauij, & alibi, & percontare, sintne edita ab ætate Lutheri aliqua miracula, quæ solus Deus perficere possit; quibusuè documentis docere possint, edita fuisse & certò tibi promitto, te deprehensurum, citra vllam hæsitationem, patrari passim in Germania plura, eaq; ingentia miracula. At volo te

eximere à peregrinatione fortaſſis tibi non ſatis cómodâ. Adijcio huic Tractatui meo tranſumptum Proceſſus authetici, & originalis, facti ſuper tribus miraculis patratis Anno 1643. die 23. Auguſti, & die 24. Octobris, & Anno 1644. die 20. Ianuarij; quorum vnumquodq; nil minus habet de ratione miraculi, quàm habuerit ſanitas collata à Petro & Iohanne illi claudo ex vtero matris ſuæ, qui baiulabatur quotidie ad portam Templi, quæ dicitur Specioſa. Fuerant tres viri, de quibus agitur in proceſſu; claudi, nulla naturali virtute, aut arte ſanabiles. Vidi ego ante annũ tres homines iſtos, perfectæ ſanitati reſtitutos. Ego ipſe ſufficiéter ſum percõtatus, an claudi innotuerint multis; & deprehédi innotuiſſe Oppidis, Ciuitatibus, & populis multis. Eſt tamen vnum, quod proceſſui illi adiungã. Innuitur in proceſſu, & de facto ita ſucceſſit; nempe, quod ſanati, ſenſim recuperauerint vires ambulandi. Cur ita? cur Deus illos non reſtituit

tuit vno momẽto perfectæ ſanitati? Ad quid recenſiti ſudores, pallores, æſtus, capillorum horror, ſuffuſi oculi, fragor membrorum, dum ſanarentur? Cur inſtar illius, qui ad vocem Christi ſuſtulit grabatum, & ambulauit; & huius ad portam Speciosam, qui ad vocem Petri exilijt laudans Deum; cur, inquam, & præfati tres claudi, non ſunt momento ſic conſolidati, vt poſſent perfectiſſimè ambulare? Sunt quidem momento erecti, & vno momento ambularunt, ſed ſegnius, & ſenſim meliuſculè, & tandem perfectiſſimè. Reſpondeo. Deus, cùm edit miracula, edit illa ſecundum menſuram, quæ ſibi videtur congrua. Aliud eſt, Deum vno momento reſtituiſſe illis claudis neruos, tendones, & alia organa deſtinata motui animali, quod præſtitit, ſoluſq; efficere potuit: aliud verò eſt, Deum conferre reſtitutis organis illis firmam conſuetudinem ambulandi. Hanc noluit concedere, quòd ea poſſit frequenti ambulatione naturaliter

acquiri. At vnde symptomata suprà relata? Nouit Deus, quo causarum secundarum interuentu reparauerit mébra illa, inepta motui animali. Fortassis adhibuit calores, frigora, inflexitq; ossa, neruos, & tendones, vnde euenerint narrati horrores, sudores, fragores, & similia.

Habes ergò, mi Vlrice, miracula in Germania. Quid dicis? Ego referam tibi, quid vnus, tui similis, opposuerit vni illorum, qui non ita pridem duxerat vxoré: quapropter ille doctè fabulabatur, vsum Veneris subduxisse à neruis fuligines, crassosq; humores; sanitatemq; hanc, quam nos referimus in Deum auctorem, ad intercessionem Beatissimæ Virginis, hic Biblista retulit in Deã, quæ præficitur tertio Cælo.

At inquis. Esto; sint miracula. Cuius Regenerati sunt argumenta? Non dixi, Vlrice, omnia miracula, quæ succedunt in testimonium veræ fidei, esse argumenta regenerationis peractæ. Tria illa miracula testantur, placere

Deo

Deo cultum ſacrarum Imaginum, venerationem, & inuocationem Sanctorum, & horum interceſſionem apud Deum; & conſequenter doctrinam illam fidei, quæ viget in illa Eccleſia, quam Deus exornat eiuſcemodi miraculis, eſſe certam, & indubitatam.

Sed non dubito, quin me tacitus irrideas, quod nequiuerim proferre vnum Capuccinum regeneratum, miraculis clarum, ex tot, qui degunt in Germania. Eſt, Vlrice, nonnullus, quē vos mactaſtis, nomine Fidelis à Sigmaringa noſtri Ordinis Concionator, ſuper cuius vitâ, martyrio, morte, ac miraculis formati ſunt proceſſus de mandato Romani Pontificis. At ſupponamus, nec fuiſſe, nec eſſe Capuccinos, nil propterea deceſſerit fidei Catholicæ; neq; meum argumentum, logicè formatum, nominatim inuoluit Capuccinos; ſed eos Regeneratos, claros miraculis, quos ſola Catholica Eccleſia habuit, & habet.

CAP.

CAP. DECIMVMOCTAVVM.

Vlricus falsò citat D. Thomam, & Stapletonum, ad confirmandum, prodigia Antichristi fore vera Miracula.

QVoniam verò vrges sententiam tuam de communione miraculorum inter Deum, & Diabolum, Christum, & Antichristum, auctoritate Doctorũ Catholicorum, adhibui proprios oculos testes, vt intelligerem, qua fide blasphemiam hanc illis imputes; & indolui, quod te deprehenderim falsum, in referenda sententia D. Thomæ, & Stapletoni, velut dixerint, miracula Antichristi, quæ à D. Paulo nuncupantur mendacia, non ideò non esse vera miracula, quia sic denominentur ab Apostolo; sed quia, tametsi vera, adhibentur in testimonium falsæ, mendacisq; doctrinæ: Repeto tuum textum, à me supra allegatum: Sic enim habet *Cap. 20. §. 5.*

Sed tu hic effugium quæris, Antichristi prodigia

gia vocari mendacia: ergò non vera erunt miracula (p. 2. p. 433.) Sed contradicunt tibi multi Vestratium. Stapletonus (in Prompt. Moralium Domin. 24. post Pentecosten, loco 4.) scribit: Ad maiorum fidelium probationem, etiam vera Miracula, non solùm Antichristus ipse, eiusq; proximi præcursores, sed quilibet Hæretici, non secus quàm Magi; Deo permittente, operari poßunt. Quod autem Apostolus dicat signa mendacia, aliter alij vestri explicant, quàm tu. Thomas part. 1 q. 114. art. 4. Etiamsi sint vera Antichristi miracula, ad mendacium tamen pertrahunt credituros. Lib. 2. Sent. dist. 7. Sect. 4. Antichristi signa dicuntur mendacia, quia fient intentione fallendi. Stapletonus (loco citato) Etiamsi vera sint prodigia, quoad actus supernaturales: non nisi mendacia tamen erunt, quia nonnisi mendacio seruient &c.

Consulto itaq; D. Thoma loco citato, deprehendo, te illum mala fide in hanc scenã traduxisse: sic enim habet:

Vtrum Dæmones possint homines seducere.

Ad quartum sic proceditur. Videtur, quod Dæmones non possint homines seducere per aliqua miracula vera. Operatio enim Dæmonum ma-

xime

ximè vigebit in operibus Antichristi. Sed (sicut Apostolus dicit 2 Theſſ. 2.) eius aduentus est secundum operationem Sathanæ, in omni virtute, & signis, & prodigijs mendacibus. Ergò multò magis alio tempore per dæmones non fiunt nisi signa mendacia.

2. Præt. Vera miracula per aliquam corporis immutationem fiunt: *Sed dæmones non poſſunt immutare corpus in aliquam naturam. Dicit enim Aug: 18. de Ciu. Dei. Nec corpus quidem humanum vlla ratione crediderim dæmonum arte, vel potestate in membra bestialia poſſe conuerti. Ergò Dæmones vera miracula facere non poſſunt.*

3. Præt. Argumentum efficaciam non habet, quando se habet ad opposita. Si ergò miracula vera poſſunt fieri à Dæmonibus ad falsitatem persuadendam; non erunt efficacia ad veritatem fidei confirmandam: quod est inconueniens (cùm dicatur Marc. vltimo.) Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.

Sed contra est, quod Aug. dicit lib. 83. quæst. quod magicis artibus fiant miracula plerumq; similia illis miraculis, quæ fiunt per seruos Dei.

Respondeo dicendum, quod (sicut ex supradictis

patet

patet) si miraculum propriè accipiatur, dæmones miracula facere non poßunt; nec aliqua creatura, sed solus Deus. Quia miraculum propriè videtur, quod fit præter ordinem totius naturæ: sub quo ordine continetur omnis virtus creata. Dicitur tamen quandoq; miraculum largè, quod excedit humanam facultatem, & considerationem. Et sic dæmones poßunt facere miracula: quæ, scilicet, homines mirantur: in quantum eorum facultatem, & cognitionem excedunt. Nã, & vnus homo in quantum facit aliquid, quod est supra facultatem, & cognitionem alterius, ducit alium in admirationem sui operis: vt quodammodo miraculum videatur operari. Sciendum est tamen, quod quamuis huiusmodi opera dæmonum (quæ nobis miracula videntur) ad veram rationem miraculi non pertingant: sunt tamen quandoq; veræ res. Sicut Magi Pharaonis, per virtutem dæmonum, veros serpentes, & ranas fecerunt. Et quando ignis de cœlo cecidit, & familiam Iob, cum gregibus pecorum vno impetu consumpsit. & turbo domum deijciens, filios eius occidit, quæ fuerunt opera Sathanæ, phantasmata non fuerunt, vt Aug. dicit 20. de Ciuit. Dei.

Ad primum ergò dicendum, quod sicut August.

dicit ibidem, Antichristi opera possunt dici esse signa mendacij, vel quia mortales sensus per phantasmata decepturus est, vt, quæ non facit, videatur facere: vel quia, si sint vera prodigia, ad mẽdacium tamen pertrahunt credituros. Hæc D. Thomas.

Statuis ergò D. Thomam vbi supra; quatenus eius dicto, & auctoritate probes, Antichristi prodigia à D. Paulo nuncupari mendacia, non quia non sint vera miracula, sed quia credentes pertrahunt ad mendacia. Vide igitur, quo candore, quaue fide induxeris D. Thomam. Tu scis constare inter me & te ex meo textu, quod illa miracula dicam vera, quæ solus Deus potest efficere, de quibus affirmo, quod prodant diuinam existentiam, & confirment veritatem doctrinæ reuelatæ. Tibi verò, ad excludendam auctoritatem eiusmodi miraculorum, citanti Christum dicenté, Pseudochristos, & Pseudoprophetas daturos signa, & prodigia magna, mihi opponenti Paulum dicentem, Prodigia illa esse mendacia,

cia, tu opponis D. Thomam, velut aſſerentem, ea prodigia atq; miracula non dici mendacia, quia non ſint vera, ſed quia pretrahunt ad doctrinam mendacem. At verò D. Thomas loco à te citato, vt patet ad oculum, apertiſſimè docet, ſolum Deum efficere poſſe vera miracula, de quibus ego loquor, additq;, hæc non poſſe aſſeri communia Diabolo ſine ruina fidei Chriſtianæ, vtpote quæ ſit confirmata eiuſmodi miraculis. Quoniam verò D. Thomas docet, non ſolùm quædam opera Dæmonum, ſed & quorundam hominum, quæ ſuperant captum aliorum hominum, dici miracula, eo quod ad rationem inducant, eſſeq; vera miracula, quatenus v. g. ranæ, quas Magi in Ægypto dederunt, non erant imaginariæ, ſed veræ ranæ: cuiuſmodi miracula denominat mendacia: tu hanc partem textus D. Thomæ allegas contra me, velut Doctor iſte ſenſerit, illa miracula, quæ ſuperant totius naturæ ordinem, fore communia

Anti-

Antichristo. Si stolidus esses, facilè te excusarem à crimine falsi; sed non possum, quandoquidem eruditus es, subtilis es, ytinam non fraudulentus.

Videam, qua simplicitate mihi opponas eundem Doctorem *Lib. 2. Sent. dist. 7. Sect. 4.* Tu quidem præmittis in allegato Textu, illum docere, quod *Antichristi signa dicuntur mendacia, quia fient intentione fallendi.* Pono textũ S. Doctoris.

Ad 4. sic proceditur, & videtur, quod virtute Dæmonum miracula fieri non possint. Antichristus virtute Dæmonum præcipuè operabitur: sed de eo dicitur 2. Thess. 2. quod veniet in signis mendacibus. ergò per dæmones miracula fieri non possunt.

2. Prætereà. Dæmones non operantur, nisi per modum artis: sed ars formam substantialem non potest introducere. Ergò non possunt dæmones vera miracula facere, vt rerum species mutent.

3 Præt. Virtus dæmonis, cùm sit spiritualis, cœlestibus corporibus non subiacet: Sed Magi in huiusmodi miraculis, quæ faciunt, determinatas constellationes obseruant. Ergò eorum operationes non fiunt virtute dæmonum.

Sed

Sed contra est, quòd Iob 1. dicit Glos. quod dæmones poßunt aërem commouere in alias tempestates.

4 Præt. Exod. 7. dicitur, quod Magi Pharaonis virgas in serpentes verterunt, qui cum virtute dæmonum operabantur. Ergò virtute dæmonum miracula fieri poßunt.

Resp. Dicendum, quod aliquod opus dicitur miraculosum dupliciter. Vno modo quantum ad substantiam facti, excedentis facultatem naturæ; sicut suscitatio mortui, partus Virginis, & similia: & huiusmodi miracula, secundum rei veritatem, dæmones facere non poßunt, sed solùm secundum apparentiam. Alio modo quantum ad modum faciendi tantùm, & non quantum ad substantiam facti, sicut sanatio febricitantis, quam natura facere potest, sed non in instanti: & huiusmodi miracula poßunt dæmones facere, & secundum veritatem, & secundum apparentiam. Secundum veritatem quidem, non per modum imperij, sicut Deus facit, cuius voluntati natura obedit, tanquam suo authori; sed mediantibus causis naturalibus actiuis, & paßiuis, quas August. vocat seminales rationes: quas quidem causas adinuenire, & colligere per acumen scien-

tiæ,

tiæ, & celeritate naturæ poßunt, ita vt eorum operationes miraculosæ reddantur, sicut colligendo res, quæ erant in proxima dispositione ad generationem serpentum, ex virgis serpentes fecerunt. Secundum apparentiam verò, in quantum imprimere poßunt in phantasiam, eam commouendo, & facere, vt species, quæ tibi sunt, ad organa sensuum, refluant; & sic videatur aliquid propriam speciem amisiße, quam tamen adhuc habet; sicut August narrat in lib. de Ciuit. Dei, quod quidam arte dæmonum videbantur in bruta animalia conuerti.

Ad primum ergò dicendum, quòd signa, quæ Antichristus faciet, poßunt dici mendacia tripliciter. Vno modo quia fient intentione fallendi. Alio modo, quia deficient à ratione signi. Namq; signum, siue miraculum, est, quod excedit facultatem naturæ, quòd in signis Antichristi non erit. Tertiò, quia quandoq; deficiet veritas rei in eius signis, licet non semper, sed quandoq; operabitur secundum apparentiam tantùm. Hæc Angelicus Doctor.

Cognosco, Vlrice, D. Thomam loco citato dicere, Antichristi signa dici mendacia, quia fient intentione fallendi,

lendi, quemadmodum hæc tua allegatio præfati textus à te fit intentione fallendi. Quid vis dicam? Mea vrbanitas, imò pudor meus me reuocant à concepto ſermone. Fatere tamen, ſi quid pudoris retines, D. Thomam aſſerere, miracula Antichriſti non fore mendacia eo duntaxat titulo, quod pertrahant ad mendacium; ſed & alio titulo, quod ſcilicet videantur vera miracula, qualia ſolus Deus efficere poteſt; cùm tamen non ſint talia, nec eſſe poſſint.

Videam, quid Stapletonus loco à te citato dicat. Tu illi imputas, eum dicere: *Etſi vera ſint prodigia, quoad actus ſupernaturales: non niſi mendacia tamen erunt, quia non niſi mendacio ſeruient*: Scilicet, Stapletonus traducitur, velut aſſerat, Antichriſtum editurum prodigia, & miracula, quæ ſint veri actus ſupernaturales; tametſi nominentur mendaces, quia non niſi mendacio ſeruiunt. Audi Stapletonum in Dom. 24. poſt Pentec. loco 4. à te citatum. *Dabunt ſigna magna, & prodigia.*

Quia

Quia hic seductorum prodigia taxantur, existimauit Caluinus, ad suum institutum hoc imprimis facere, vt propter falsa seductorum signa Ecclesiæ Catholicæ vera miracula traduceret, idq; eo magis, quod se, suosq; Sectarios tam falsis prodigijs, quàm veris miraculis carere cerneret. Sed ipsius disputatio talis est, vt ipsa semetipsam perspicuè euertat. Sic enim scribit. [Quum Antichristos, & mendaces Prophetas Dominus miraculis armatos fore pronuntiet, non est, cur tantoperè superbiant Papistæ hoc obtentu, vt ipsorum iactantiâ territemur. Miraculis suas superstitiones confirmant: nempe quibus prædixit filius Dei, labefactandam eße multorum fidem. Quare tantum apud prudentes momentum habere non debent, vt per se sufficiant ad probandum hoc vel illud doctrinæ genus.] Hæc quidem ille. Sed quum hactenus nihil nisi nugari se, aut blasphemare potius animaduertet, quum contra miracula tam Christi, quàm Christianorum omnium hæc disputatio faciat, quibus Christus dixit, Io: 15. Maiora horum facietis. Et iterum; Mar. 14. Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur, ægris manus imponent, & benè habebunt, serpentes tollent &c: Idq; in testimonium & approbationem

tionem veritatis, de quo dixerat, Io: 15. Spiritus testimonium perhibebit de me, quum, inquam, hanc expeditam contra se obiectionem præuideret, eam conatur soluere. [Si excipiant, inquit, hoc modo euerti, ac in nihilum redigi miracula, quibus tam Legis, quàm Euangelij sancita fuit authoritas; respondeo, certam spiritus notam illis insculptam fuiße, quæ dubitationem, & errandi metum fidelibus eximeret. Neq; enim, quoties ad suos confirmandos vitutem suam exeruit Deus, ita confusè operatus est, quin vera extaret; nulliq; fallaciæ obnoxia, distinctio.] Hæc quidem ille; sed, quæ sit hæc Spiritus nota, & quæ distinctio, dolosus hæreticus nihil dicit; sed generalem calumniam suam, excusatione generali probabilem facere contendit, quod eorum est, qui fallere lectores suos volunt, non docere. Hæc igitur adhuc responsio, & satisfactio nulla est. Pergit igitur, magisq; Lectorem ludificat. [Adde, quod doctrinam sic obsignant miracula, vt illa quoq; vicissim præluceat, & discutiat omnes nebulas, quibus simplices mentes obfuscat Satan. Deniq; si ab imposturis cauere placet; sit apud nos indiuidua signorum, & doctrinæ coniunctio] Hæc ille. Sed non aduertit impostor, aut certè id

ſimplicem Lectorem aduertere non poſſe præſumit, tum de ipſa doctrina quantumcumq; luculenta, & pura dubitari poſſe non ſecus quàm de miraculo, tum miracula ad doctrinæ confirmationem [& ad eius ſanciendam authoritatem] ſicut ipſe ſibi Caluinus obiecit, afferri ſolere. Chriſti doctrina maximè haud dubiè præluxit, & cum miraculis, quæ fecit coniuncta erat, tamen doctrinam ipſam ſuam miraculis confirmari voluit, Io: 8. & 10. Si mihi, inquit, non creditis, operibus credite. Si opera ego facio, quæ nemo alius facit, quare mihi non creditis? Non ergò ſufficit prælucere doctrinam nouam, & inauditam, ex ſe ſe incredibilem, niſi miraculis confirmetur. Caluinus igitur, impotens, & inſulſus hæreticus, Catholicorum miracula impotenter conuellit, vera miracula à falſis diſtinguere inſulſus non poteſt. Quanto melius in ſchola Catholica didicimus, ſeductorum ſigna, & prodigia à veris miraculis diſtinguere, vel à perſonis ſeductorum, quia non legitimè vocati ſe ſe ingerunt, vel à fine quem obtendunt, vt poſt ſe diſcipulos abducant, vel ab ipſis in ſe miraculis, aut fallacibus, & meris præſtigijs, quæ niſi deceptionem oculorum habent, aut ſi veris prorſus inutilibus, & ad

oſten-

ostentationem factis, non beneficiis, qualia omnia sunt veri nominis miracula. Hactenus Stapletonus.

Mi Vlrice, in Præfatione tuæ Appendicis §. 3. & 4. me reprehendis, quòd falsò allegauerim Bezam; nimirum, quod addiderim aliqua textui illius, vt probarem, Bernardinum Ochinum fuisse trucidatum à Geneuensibus. Ego hanc culpam tantopere exhorrescerem, quod mallem mori, quàm, editis libris, postulari falsi apud Ecclesiam: & tamen culpam tam fædam exprobras satis modestè: hisce enim verbis duntaxat reprehendis obiectum crimen falsi.

Vnde ergò reliqua illa hausisti tu? Si aliunde, cur ad Bezæ testimonium, quod nullum est, prouocas? Itane vos obsecro, veritatis arma deficiunt, vt ad figmenta toties confugiendum sit? & nihilne deprehendi pudet? Et paulò infra: *Vides ergò, Valeriane, quàm vanè Geneuensibus homicidium, Ochino martyrium, Bezæ falsum testimonium affingere, lectoribus autem fucum facere, tentaris.*

 Satis,

Satis vt dixi, modestè: quapropter volo tibi vicem rependere. Fortassis D. Thomam, & Stapletonum non legisti in fonte; sed ab alijs falsò citatos allegasti, inscius falsi.

Quod verò attinet additionem mihi obiectam ad textum Bezæ, error est Typographi, correctus tamen hoc modo.

Parte secunda, paginâ 338. lin. 10. hypocritam. *Dictiones quæ sequuntur non sunt Bezæ, sed Valeriani.*

Scilicet, debuisset Typograph⁹ verba quæ sequuntur notatam dictionem [hypocritam] non continuare charactere cursiuo, sed Ciceroniano, velut verba illa sint mea, non Bezæ.

CAPVT. XIX.

Probantur ex Euangelio vota Monastica.

HIsce examinauerim sufficienter argumenta tua, quibus conaris reuocare omnes à miraculis ad sacrum textum. Superest videam, & exami-

xaminem machinas tuás, quas adhibes ſuffodiendo altero fundamento, ſcilicet, obolendæ vitæ ſanctitati. Vos enim deſtituimini & miraculis, & illa ſanctimonia, quæ ſuperet humanam naturam; & prouocati ad quæſtionem hiſce armis dirimendam, vel vobis fugiendum eſt, vel eliminanda & miracula, & præfata vitæ ſanctimonia.

Scatet tuus Tractatus textibus, quibus vel carpis, vel arrodis, vel hoſtiliter aggrederis hanc Euangelicam morum puritatem. Sed compendij gratia adduxero vnicum, qui tamen ſolus ſuffiiciat. *Cap.* 4. tuæ Appendicis §. 7. ita ſcribis.

Scandalum quintum grande, tibi ſunt Conſilia illa Euangelica, quæ vocatis, de ſpontanea Paupertate, & Cælibatu. Hem, ex toto Euangelio nihil præter particellam illam, & illam quidem malè acceptam, pro tota Euangelica perfectione iactare, quantæ imperfectionis eſt? Malè acceptam dico, quia Chriſtum id voluiſſe ibi, quòd vos vultis, in æternum probari non poteſt. Sed impingitis in verba Chriſti ſic, vt olim

lim in Dei præcepta Pharisæi, male intelligendo, malè obseruando, & tamen in eo sibi perfectionem summam tribuendo, eâq; se aduersus homines, & Deum ipsum inflando. Potest profectò hic Christus, quod ibi per Prophetam Deus dicere: Non præcepi hoc, neq; loquutus sum, nec ascenderunt in cor meum (Ier: 19. 5.) *Appellas quoq; toties vitam Capuccinorum tuorum, Apostolicam perfectionem. Sed quæso te per Christum, quid simile Apostolis agitis vos? aut quid simile vobis egerunt Apostoli? Illi orbem peragrabant: vos vestris in cellis plerumq; latitatis. Illis erat solicitudo omnium Ecclesiarum* (2. Cor: 11. 28.) *vos vacatis vobis tantum ipsis. Illi laborabant manibus: vos mendicatis. Illi manducabant, & bibebant.* (*1. Cor: 9. 4. id est, liberè donis Dei vtebantur, citra superstitionem*) *vos ob talem vitam ministros Euangelij non aliter traducitis* (*Tu ipse his in libris sæpius*) *quàm olim Pharisæi Christum, Ecce homo vorax, & potator vini, puclicanorum, & peccatorum amicus* (*Matth: 11. 19.*) *Apostoli circumducebant coniuges sorores* (*1. Cor: 9 5.*) *vobis id abominatio est. Illi accipiebant pecuniam* (*Philipp: 4. 15. &c.*) *vos eam non contrecta-*

tractatus. Illi abhorrebant superstitiones, dedocebantq́; vos eam docetis &c. Aperiat tibi Dominus oculos, vt melius videas, quàm vides, quid sit Euangelica, & Apostolica perfectio.

Exponam tibi, quid sentiam de Euangelica perfectione, ea consistit in perfecta dilectione Dei & proximi: in his enim duobus mandatis vniuersa lex pendet & Prophetæ. Charitas hæc accenditur ab obiecto fidei credito cum certitudine, & constantia mentis: Deus verò deforis proponit credenda per Ministros Ecclesiæ, ab intus autem suscitat torporem nostrum per donum Spiritus Sancti, collatum ob merita Christi. Hisce omnibus aduersantur illecebræ ingentes huius labentis vitæ, quibus pellicimur ad illa obiecta, quæ nos auocant à charitate erga Deum, & proximū, quibus, qui carere potest, securius perficitur in charitate, & iustificat animam: hinc consilia Christi: hinc voluntariæ cruces: hinc illud vitæ genus, quod (vt dicit Apostolus) est stultitia viro animali.

Eſt nonnullus, qui vult occupare ſe totum in cultu Dei. Is verò ſcit, ſi ducat vxorem, cogitaturum frequenter, quomodo placeat vxori, iriq; diuiſum: quapropter præfert cælibatum coniugio, vt ſit Sanctus corpore, & Spiritu: cogitetq; aſſiduè, quæ Domini ſunt: cuius conſilij auctorem habet D. Paulum, cuius mulierem ſororem, quam circumducebat, tu nuncupas coniugem; tametſi ſe exhibuerit in cælibatus exemplum. Quid iſthic ſcandali eſt, Vlrice? Aperiat tibi Dominus oculos, vt melius videas, quàm vides, quid ſit Apoſtolica, & Euangelica perfectio.

Sed eſto, non tibi collibuerit cœlibatus: ſis coniugatus, & vxor tua, vel infirmitate, vel ob aliam cauſam deſit tibi, æſtuanti multa libidine, non ſine periculo grandi, euocandi è vicino conclaui ancillam, contra mandatum Dei, cùm extremo periculo animæ tuæ: Fueritne ſcandalum grande, reprobatum à Chriſto, exilire de

rè de ſtrato; & vel raptare trabem, vel adhibere flagellum, amiciri Cilicio, inediâ conficere corpus petulcum, adhibitis precibus, ne fortè derelicto Deo, conſentias legi membrorum tuorum? Quid dicis? Haud puto, Chriſtus ſuccenſuerit tibi ob has voluntarias cruces. Quid putas fecerit Paulus Apoſtolus, cùm colaphizatus ab Angelo Sathanæ, caſtigabat corpus ſuum, redigebatq; in ſeruitutem Spiritus, ne fortè cùm alijs prædicaret, ipſe reprobus efficeretur? ſtertebatnè inter plumas, deſes, opperiens auxiliùm de cælo? Heu me, etiamnum ſunt populi innumeri, qui ſeducuntur eiuſmodi ſcrutinijs ex ſacro textu! Heus tu, Vlrice, quid ſibi vult illud Chriſti: *ſi oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum & proijce abs te &c. & ſi dextra manus tua ſcandalizat te, abſcinde eam, & proijce abs te?* Totis mille ſexcentis annis à viris ſanctioribus, ex eiuſce modi conſilijs Euangelicis, deſæuitum eſt in Eccleſia Chriſti in proprium corpus,

inq; ipſam humanitatem: neq; aliud reſonant hiſtoriæ ſacræ, quàm eiuſce modi exempla, ſapientiſſima quidem habentibus Spiritum Dei, ſtultiſſima verò homini animali. ſi vel ſemel vnico momento experirere, mi Vlrice, amorem purum atq; ſincerum erga Deum, ſcires, proprio mentali experimento, odium tuũ, àduerſus omnem illecebram auocantem à Deo, eſſe irreconciliabile, & inexpiabile: quod odium, ex amore Dei enatum, ſuggereret tibi ſtultiſſimas, & infandas cruces contra temetipſum, eaſq; in opus conferres, nil veritus argumenta, quæ nunc habes in contrarium.

At volo te plenè ſuffocare expreſſâ auctoritate Chriſti; ita vt nequeas vel vnicum Iota effutire in contrarium. Sis tu, Vlrice, vnus de illis, qui ſeruant mandata Dei. Deum colis; Parentes honoras; proximum diligis, ſcilicet, hominem non mactas: quæ illius ſunt, non furaris: non adulteras alienam vxorem, nec falſum teſtimo-

nium dicis aduerſus vllum: & ſi quas cruces Deus tibi immittit, Deum non blaſphemas. Sic verò animo, & viuendi inſtituto comparatus, accedis Saluatorem, & percontaris ab illo; Magiſter, quid faciendo vitam æternam poſſidebo? Ille verò reſpondeat: ſerua mandata. Cui tu dicas: Domine, hæc omnia cuſtodiui à iuuentute mea, quid adhuc mihi deeſt? Reſpondeatq; tibi IESVS: *Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo: & veni ſequere me.* Tu verò ſciſcitêre ab Apoſtolis, quo vitæ inſtituto ſequantur Chriſtum, illiq; te doceant, quod iuſſi ſint annunciare Regnum Dei, miſſi ſine ſacculo, ſine pera, ſine calceamentis, vnicam tunicam habentes, victitantes ex ſtipe, quam ſibi quærebant, vel ex his, quæ vltrò porrigebatur; ſæpiuſq; eſſe perpeſſos calamitatem ex illa paupertate voluntariâ; ita vt aliquando coacti ſint quærere cibum ex ſpicis frumenti, excuſ-

so ac deuorato grano crudo. Peto abs te; Vlrice, si Christus te sic adhortaretur, hocq; Apostolicæ vitæ institutum agnosceres ex ore Christi, & Apostolorum, peto, inquam, diceresne tu mihi: *scandalum quintum grande tibi sunt Consilia illa Euangelica, quæ vocatis de spontanea paupertate, & cœlibatu. Hem, ex toto Euangelio nihil præter particulam illam (nescio quam cogites particulam) & illam quidem malè acceptam, pro tota Euangelica perfectione iactare, quantæ imperfectionis est?*

O præclara specimina reformatæ Ecclesiæ, & perfectionis Euangelicæ, per priuata scrutinia sacri textus quorumlibet, & quarumlibet! quibus non obstitit Ecclesiastica sanctorum virorum praxis annis mille sexcentis: non clarissima Christi, & Apostolorum consilia, exarata in sacro textu: nec euidentissima naturalis ratio, quo minus irent, vno sensu, corruptum doctrinam de Euangelica perfectione, & adornatum petulantiam carnis, authoritate sacri textus.

CAP-

CAPVT XX.

Antithesis Vlrici inter Capuccinos, & Apostolos examinatur, & reprehenditur.

HÆc de perfectione Euangelicâ vobis inuisa. Expendo antithesim tuam inter Capuccinos, & Apostolos; quandoquidem me adiuras per Christum, edicam, quid simile Apostolis agamus nos Capuccini; aut quid simile Capuccinis egerint Apostoli!

Respondeo: Vtrinq; itum est annũciatum Regnum Cælorum, sine sacculo, sine pera, sine calceamentis, vnicâ tunicâ contentis, sequutis Christum post derelicta Patrem, Matrem, Fratres, Sorores, Vxorem, agros; omnibus distributis in pauperes, ita vt vno ore dicamus Christo. Matt: 19. *Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te, quid ergò erit nobis?* Tu verò subinfers non permeabile chaos firmatum inter Apostolos; & Capuccinos, scilicet; *illi orbem peragrabant; vos vestris in cellis plerumq; latita-*

latitatis. Illis erat solicitudo omnium Ecclesiarum: vos vacatis vobis tantùm ipsis. Illi laborabant manibus: vos mendicatis. Illi manducabant, & bibebant: vos traducitis Ministros Euangelij, velut voraces, potatores vini, publicanorum & peccatorum amicos. Apostoli circumducebant coniuges sorores: vobis id abominatio est. Illi accipiebant pecuniam: vos eam non contrectatis. &c.

Nos Catholici, edocti ex Euangelio, & ex praxi Ecclesiastica tot sæculorum, distinguimus Ecclesiæ Ministros in duos ordines. Supremus est Episcoporum. Alter complectitur inferiores Episcopis. Illorum status est acquisitæ perfectionis Euangelicæ: horum est status perfectionis acquirendæ. Scholæ, constitutæ in Ecclesia edocendis, & promouendis imbecillioribus ad præfatam perfectionem, fuere in primitiua Ecclesia, Ecclesiæ Cathedrales, seu quomodolibet aliter Collegiatæ; ex quibus assumebantur Clerici, qui in schola illa euaserant ad perfectionem Euangelicam; & promoue-

mouebantur in Epiſcopos. Clerici verò harum collegiatarum nuncupabantur Canonici, hoc eſt Regulares; qui ætate Auguſtini paſſim defecerant à Regulâ perfectionis Euangelicæ: quapropter vir ille ſanctiſſimus inſtituit ordinem Canonicorum, qui denominati ſunt Regulares, velut priores fuerint irregulares. Quoniam verò neq; hoc inſtituto ſufficienter cautum eſt Epiſcopatibus ab imperfectione Epiſcoporum, Deus ſuſcitauit S. Benedictum, inſtitutorem ordinis Monaſtici, ex quo, primis illis temporibus, aſſumebantur, qui præficerentur non ſolùm Epiſcopatibus, ſed & qui cenſerentur inter Patres purpuratos, eligerenturq; in ſummos Pontifices: ita vt penè trecentis annis, maximâ ex parte, rexerint Eccleſiam Dei. Verùm, deficiente in dies diſciplinâ Eccleſiaſticâ Clericorum ſæcularium, Chriſtus ſubmiſit Ordines mendicantium, qui fundati in paupertatis prædio, ſine graui impenſa fideli-

delium, excreuerunt in eam multitudinem, quam hac nostrâ atate, cernere licet. Itaq; Ecclesiæ Cathedrales, & cæteræ Collegiatæ; & sacri ordines Clericorum regularium, sunt scholæ perfectionis Euangelicæ, eo consilio à diuina prouidentiâ institutæ, vt inde viri perfecti assumantur ad Episcopatus, & Cardinalatus; ex quo Collegio deliguntur Summi Pontifices. Sanè Ecclesia Orientalis videtur, cõtraxisse dignitatem Episcopalem ad Ordinem Clericorum regularium S. Basilij; quatenus non assumitur ad Episcopatum vllus, qui non sit de schola perfectionis Euangelicæ, quam instituit S. Basilius.

Nos ergò Regulares, sumus homines imperfecti; scilicet, qui nequeant possidere diuitias sine luxu; nec ferre dignitatem sine superbia; nec Ecclesiarum sollicitudinẽ sine distractione mortali: quapropter, secundum sanam doctrinam Theologorum, existimamus, ambitum Episcopatus inducere

culpam mortalem, ob periculum propriæ ſalutis, & publici ſcandali, ſi cum præfatis imperfectionibus illum capeſſere contendamus: quapropter, ſecreti à turba fidelium, qui præter obſeruantiam mandatorum, non meditantur aliam perfectionem Euangelicam, degimus in clauſtris deuoti Deo, ſeruare obedientiam, paupertatem, caſtitatem, vitamq; regularem.

Reſpondeo igitur ad obiectam antitheſim inter Apoſtolos, & Capuccinos, diſtinguendo ſtatum Apoſtolorum. Chriſtus voluit prælucere exemplo ſuæ Eccleſiæ, ex quo intelligerent, qua prudentia, quoue delectu conſtituendi ſunt Epiſcopi. Noluit, Apoſtolos habere arbitrium regendarum Eccleſiarum, niſi edoctos obedire Chriſto, regenti diſciplinam Collegij Apoſtolici. Noluit, Apoſtolos diſpenſare facultates Eccleſiaſticas, niſi probaſſent ferre ob amorem Chriſti paupertatem ſine ſacculo, ſine pera, & mendicitatem, triturantes proprijs manibus

bus frumentum, quo crudo, & inculto vescerentur. Nos ergò Capuccini, cæteriq; Regulares non æmulamur Apostolicam sollicitudinem Ecclesiarum, vsum diuitiarum, arbitrium actitandi, quæ libuerint; sed anhelamus ad eam perfectionem, quam illi habuere post multam, arctamque disciplinam, sub Magisterio Christi, in carne viuentis. Fateor, antithesin inter Capuccinos, & Apostolos Ecclesiarum Episcopos, esse grandem & conspicuam: at inter Capuccinos, & Apostolos sequentes Christum sine sacculo, sine pera, sine calceamentis, est multa similitudo, quam tu nimium aculeatè incessis.

Porrò noster discipulatus in schola perfectionis, non ita subducit nos à procuranda salute proximorum, vt simus inutilia pondera terræ. Audi Vlrice, quid sum dicturus. Fideles facilè declinarent ad Atheismum, si non spectarent frequenter viros doctos, prudentes, ac diuites rerum temporalium, qui susciperent illud viuen-

viuendi inſtitutum, quod nemo prudens ſeruauerit, quàm ob ſpem vitæ æternæ, & purum amorem Dei. Clarius meum conceptum expono. Si ſinguli de Eccleſiâ Chriſti laudarent, & vrgerent mundi contemptum, nec tamen eſſent, qui contemnerent, ſed ſinguli ſic viuerent, vt eos non pænitere transactæ vitæ; tametſi poſt mortem nullam deprehenderent meliorem conditionem; puto, fides Chriſtiana degeneraret in fabulam. Nos Capuccini ſic viuimus, vt ſimus inſani, ſi huic vitæ non credamus reſpondere vitam æternam. Hinc cenſe, quid quiſq; Capuccinorũ, tametſi ſolitarius Deo deſeruiat, contribuat fidei Chriſtianæ. Præterea. Capuccinorum hac ætate ſunt viginti vnum circiter millia: ex quibus numerantur ſacri verbi præcones vltra quatuor millia: neq; eſt vlla præcipua orbis pars, etiamnum Achriſtiana, ad quam ſedes Apoſtolica non ſubmiſerit ex ordine noſtro viros Apoſtolicos non paucos,

ſed

sed centurias aliquas. Reliqui profundius delitescunt in cellis, & psallnnt Deo in Ecclesijs, semper pugnaces contra proprias concupiscentias; & tamen tu sacrum textum, tuo priuato scrutinio explicatum, acuis in eiusmodi homines, velut sint eo vsq; Deo exosi, vt, editis veris miraculis ad nutum Diaboli, & Pseudoprophetarum, illos percutiat cæcitate mentis, induretq; æternùm damnandos.' Heu me, quorsum euasit priuatum scrutinium sacri textus, oppositum auctoritati totius Ecclesiæ!

CAPVT XXI.

Excusantur peccata Ecclesiasticorum, contra querelas Vlrici.

Cæterùm qui nō pepercisti Capuccinis, non præterijsti nostros Episcopos, Cardinales, & Papas; sed, dum me reprehendis, quod dixerim, nullum extitisse, qui ætate Lutheri, petierit morum reformationem in Ecclesia,

sia, inde capessis occasionem; incessendi illos, multa inductione eorum, qui postulauere reformationem. Et exordiris à Bonifacio iij, donatum, vt inquis, à Phocâ Imperatore superbo titulo Episcopi vniuersalis. Succedit in tuo textu circa annum Domini 780. Paulus Varnefrid Theologus, Patriarchæ Aquileiensis Diaconus. Auentinus lib. 3. Annal. Boiorum. Synodus Rhemensis circa annum Domini 1230. Iohannes Sarispurgensis Episcopus Carnotésis circa annum 1150. Arnoldus de Villa noua circa annum 1290. Franciscus Zabarella Cardinalis circa annum 1417. Sigismundus Imperator, & Petrus de Aliaco Cardinalis in Concilio Constantiensi. Iacobus Iunterbuck Carthusianus circa annū 1400. Baptista Mantuanus Carmelita. Deniq; enumeras, nescio quos Prophetas, Robertum Gallum, Iohannem Lichtenbergium; quibus addis Ioachimum Abbatem, Sanctam Ildegardim, Diuam Brigittam: & ne quid desit,

desit, allegas in tuam sententiam Adrianum VI. & Paulum IV. Summos Pontifices, quibus velut præclarè exageratis, exclamas: *O' Valeriane Deus non illuditur.*

Vlrice, hisce tu me coniecisti in eas angustias, vt mihi aut fugiendum sit, aut cogor tibi concedere aliqua. Regimen Ecclesiasticum non consistit sine curia, & honore publico. Curia poscit annuos redditus: Honor publicus maiestatem: hæc satellitium, quatenus Princeps terrori sit detrectantibus imperium. Trina maiestas competit cuilibet Principi. A virtute heroica: à prudentia politica: à potentia temporali. Veneramur Principem, tametsi malum, & imprudentem, ob Maiestatē à potentia temporali. Hæc suo modo in quolibet Episcopo, maximè verò in summo Pontifice, qui præsit vniuersæ Ecclesiæ. Ambitus verò dignitatum, positâ humanâ fragilitate, pari passu incedit cum dignitate Principatus, quæ inseparabilis est in o-

in omni Republica, siue ea sit politica, siue militaris, siue Ecclesiastica. Vni Episcopatui inhiant multi: Primatui in tota Ecclesiâ plures. Multi horum circumambiunt arte multiplici eos, quibus sit vel facultas, vel potestas promouendi. Ecquis compescat omnes, quominus præsumant, sibi quærant, & interponāt artes? Quoniam verò Regum præcipui in magno negotio habent obligare Romanos Pontifices, quorum electio fortassis discutitur in Regum consilio arcano, priusquam perficiatur in Conclaui Cardinalium; hinc studia, erga promouendos in Cardinales, & in Summos Pontifices, non semper vergunt erga personas, quæ inter reliquas eminent perfectione Euangelicâ. Sanè vir bonus optet id emendari, sed fuerit stultus, qui id omnino speret: nam hæc incommoda haud aliter submoueri possunt, positâ humanâ fragilitate, & saluâ dignitate, nisi id Catholicis accidat, quod contigit vobis

Bibli-

Bibliftis, apud quos Archiepiſcopatus Magdeburgenſes, Bremenſes, Epiſcopatus Halberſtadienſes, Mundenſes, Præpoſituræ, & Abbatiæ pinguiſſimæ &c. ceſſêre in hæreditariam ſortem familiarum Principum. Cæterùm, qui ex vobis incumbunt Miniſterio Eccleſiaſtico, non habent dignitatem, quæ exacuat ſtudia Nobilium, Baronum, Comitum, Principum aut Regum; vnde factum, quod ambitus miniſterij Prædicantium, ſicubi interueniat, ſit ſine Eccleſiæ periculo. Verùm, vos ſine curia, ſine dignitate; ſine maieſtate, quomodo poteſtis ligare tuti, aut ſoluere Nobiles, Barones, Comites, Principes, Reges, Chriſto & Eccleſiæ eius ſubiectos? Conceſſerim vobis non laudem, ſed neceſſitatem frugalitatis in re familiari: moderationis in ſplendore domeſtico: & humilitatis in exercendo imperio Eccleſiaſtico: at quo fructu, quoue ſplendore dignitatis Eccleſiaſticæ? Fuerit vera laus, ſi veſtri Archiepiſco-

episcopi, Episcopi, Præpositi, & Abbates ijs virtutibus fulgeant, quarum exercitium exigitis à nostris Episcopis, Cardinalibus, & Papis; sed ego non ausim animaduertere in virorum principum vitam, illâ licentiâ, ne dicam petulantiâ, qua pleriq; vestrum in uehuntur in Principes Ecclesiarum nostrarum.

Hæc quidem, & alia plurima dicere possem in hanc sententiam; sed volo me expedire paucis, quæ tamen sufficiant viro prudenti. Est delirium hominis insani, censere de doctrina Catholica, ex contingenti mutatione morum, eorum, qui præficiuntur Ecclesijs. Sanè liceret, si Deus in verbo suo promisisset, se non daturum Ecclesiæ suæ vllum sacerdotem non sanctum. Certò tibi persuadeas, Vlrice, grauiora esse, quæ committuntur contra legem diuinam vestri Episcopi, Archiepiscopi, vestri Papæ, ij sunt apud vos Principes, & Reges politici, quàm quæ imputantur nostris Papis,

Cardinalibus, & Episcopis; sed ab illis distinguntur, nescio an conditione vitæ, an sorte. Sortem diuersam ostendo, recensito facto, quod mihi contigit. Vir nobilis Tribunus militum, qui militare imperium exercebat in Ciuitate quadam, detulit aliquando personam Ecclesiasticam Episcopo, coram Nobilium frequentiam, me quoq; præsente, velut deprehensam à suis militibus, in domo mulieris meretricis, quam vniuersa cohors frequentabat: detulit, inquam, fornicarium Clericũ tanta acerbitate, vt etiam minas interponeret, scilicet, se animaduersurum propriâ auctoritate in eiusmodi personas, ni Episcopus in homine accusato statueret exemplum iustæ seueritatis. Adstantium Nobilium alij fremebant, alij excitabant iocos ex intemperantiâ personæ Ecclesiasticæ. Ego, post Episcopum, solus aderam Regularis. Dixi ergò, me captare eximium animi solatium ex illo scandalo, & ex communi fremitu con-

tra

tra virum Ecclesiasticum fornicarium. Me verò deploraturum cum lachrymis infelicitatẽ Cleri nostri tùm, cùm illis sic licebit frequentare lupanar, citra vllius admirationem, & scãdalum, quemadmodum hac ætate id, & alia pleraq; licent militibus, eorumque Tribunis, principibusq; Viris. Hisce auditis, perculsi hac inopinatâ sententiâ, intellexerunt, viro pridem infami ex aliquo delicto, non esse dedecori, si repetat delictum; quod vel semel perpetratum ab homine honesto, probro illi vertitur. Hæc tibi sufficiãt.

CAPVT XXII.

Vlricus respondet argumento à se conficto, dissimulato argumento Valeriani.

COgnoſcisne, Vlrice, quo effectu inuaseris & miracula, & vitæ sanctimoniam ex voluntaria Cruce? Quo consilio id feceris, tua conscientia est tibi testis. Mihi verò attentius per-

pendenti indolem tuam ex tuo Tractatu, videtur, quod circumſpicias fugam, ſi qua pateat: ſin verò deſit, oppugnatus repugnas. Inuado te argumento à vitæ ſanctimonia, & miraculis: tu fugis, cauſatus eiuſmodi argumenta eſſe vel nulla, vel imbecilla. At verò, quid ſi tibi ex tuorum Bibliſtarum ſententia, dimicandum ſit contra Catholicos hiſce armis? Laudo acumen, & circumſpectionem tuam: nam, cùm nequeas reſiſtere argumento, diſſoluis compagem partium illius, eaſq; confundis cum argumento extraneo, quod nil facit ad rem, tuaq; reſponſio fertur non in meum, ſed in tuum, quod ex meo artificioſè conflaſti, argumentum. Vbi enim Cap. 13. §. 1. dixiſti, me eò collimare, vt inferam, Eccleſiam Catholico-Romanam eſſe ſolam, cui fides poſſit adhiberi, ſic ſuccedis: *Quod probas argumento triplici. Primò, quia illa ſola eſt Ciuitas illa in monte, conſpicua Orbis ab exiguis Apoſtolicæ prædicationis initijs in tantam amplitudinem diffuſa, hierarchiâ ſuâ ſem-* per-

per illuſtris, præſertim in Concilijs congregata. Secundò quia ſola hucuſq; vti ſemper, claret Regeneratis. Tertiò, quia diuinitus ornatur Miraculis. Quæ quidem Argumenta ſic diſponis, & vrgès, vt in vnum deſinant, Miracula: (demonſtras enim Eccleſiam per Regeneratos, & Regeneratos per Miracula) reuera tamen tria ſunt, & quodlibet per ſe arguendi vim habet, quemadmodum & tu ſeorſim vnumquodq; vrges. Omnia itaq; illa, quæ libris octo dixiſti, in hæc tria ſe reſoluere, CONCILIA, REGENERATOS, MIRACVLA, *ratum eſto.*

Vlrice, meum argumentum non eſt illud, quod tu refers, ſed longè diuerſum. Meum includit miracula, & Regeneratos coniunctim, non diuiſim: tu verò, quæ ego coniunxi, ſeparas. Scio (quod & dixi apertè in meo Tractatu) conſiſtere Miracula ſine regeneratione, & regenerationem ſine miraculis; ita vt neq; ex miraculis regenerationem, neq; ex regeneratione miracula inferre liceat: tu verò oratione magniloqua, diſputatione accuratâ, & ſacri textus ſcrutinio acri, conaris

naris demonſtrare, eum, qui miracula facit, poſſe eſſe non Regeneratum. Solent in publica diſputatione illi, qui perculſi ſunt argumento inſolubili, quærere occaſionem garriendi de re, quæ ad diſputationem non ſpectat; ne, ſi taceant, prodant, ſe eſſe perculſos, & conuictos. Ego totam vim argumenti ſtatuo in duobus punctis, quorum primum diſſimulaſti planè, alterum penè. Cum primis intuli, eam Eccleſiam eſſe veram, quæ claret viris conſpicuis vitæ ſanctitate & miraculis coniunctim, & non diuiſim. Deinde addidi: veram Eccleſiam, ſolã ex omnibus Chriſtianorum ſectis, clarere regeneratis. Quæ verò opponis de incertitudine hiſtorica miraculorum: de hypocryſi ſimulante veram ſanctitatem: de cõmunione miraculorũ inter Deum & Diabolum, Chriſtum & Antichriſtũ, & Pſeudoprophetas, hæc omnia retorqueo in Deum, in Moyſen & Prophetas, in Chriſtum & Apoſtolos, in canonicos ſcriptores, primitiuamq;

uamq; Ecclesiam: nil enim est, quod vel imaginando confingere possis, vnde diuinam existentiam, & Personarum illarum auctoritatem certò inferre possis, si submoueas à nostra disputatione vitæ sanctitatem & miracula. Miracula, inquam, dico actiones à solo Deo editas, quæ sint præter, contra, vel supra naturam vniuersam.

Cum primum legi tuum Tractatum, Vlrice, & incidi in id, quod Cap. 1. §. 5. dicis in meam laudem, quod cupiam nos absolui à quodam stupore mentis, assurrexi in eximiam spem, quod te tandem habiturus essem assertorem meæ sententiæ. Quàm præclarè, quàm prudenter loqueris de absolutione ab illo stupore! *Desiderium tuum* (inquis) *eò tendere innuis, vt absolui queas à stupore, quem, ob tanta Philosophorum circa scientias, & Christianorum circa fidem diffidia, pateris. O quàm optem stupore hoc multos corripi! vt nempè aliquo tantarum confusionum tædio affecti, liberandi sui circumspiciant modos, viasq́; ! sed mi Valeriane, dormiunt pleriq; nimis securè: imò*

 ster-

stertunt, etiam qui vigilare videntur. Prout quisq; in opiniones incidit, illisq; innutritus est, ita eas aut supinè fouet, aut mordicus defensat: posthabito meliorum & veriorum, an haberi possint, respectu. Interim monstri simile! Philosophos ante se eandem rerum naturam, mysteria sua eodem modo omnibus obuertentem & explicantem, habere: ijsdemq; circa illam sensuum & Ratiocinationis organis vti, & diffidere tamen? Christianos itidem eundem Dei Librum gestare in manu; & habere promissum eundem mysteriorũ interpretẽ, Spiritũ veritatis: & tam monstruose diffidere tamẽ? vt Iudæis, Turcis alijs infidelibus, scandalo simus & ludibrio, eheu! stuporem tecum patior, mi Valeriane. O Iesu Christe, cui data est omnis potestas in cælo & in terra, ad disijciendum, inimicum Deo, tenebrarum regnum, erigendumq; Regnum lucis, miserere has tot vertigines nostras, atq; iam tandem, tandem, tandem auferri iube caligines ab oculis nostris; vt te lucem nostram, Te viam nostram, Te veritatem nostram, Te vitam nostram, purè videamus omnes & hallucinari, cæcutire, cæspitare, inq; errorum barathra ruere, desinamus! Amen.

Hæt tu, & tamen tu etiamnum ignoras

ras argumenta, ex quibus infers Diuinam exiſtentiam, auctoritatem Moyſis, & Prophetarum, Chriſti & Apoſtolorum, & ſcriptorum canonicorum. Es inſtar illius, qui quærebat Aſellum, cui inſidebat.

Nec ſufficit tibi diuiſiſſe aciem mei argumenti, quatenus copias ſeiunctas profligares facilius; ſed & coordinas in acie, neſcio quos, generalis Concilij Patres, quaſi ego inferam veram Eccleſiam ex auctoritate Conciliorum generalium. Ex auctoritate Concilij ſoluitur inter Chriſtianos quæſtio de fide, v. g. an bona opera ſint neceſſaria ad ſalutem. Hoc ego dixi. Quod verò ex auctoritate Concilij definiatur, quænam ſit vera Eccleſia, non dixi; ſed duntaxat intuli, eum cætum, qui communicet in fide cum Vrbis Epiſcopo, eſſe veram Dei Eccleſiam: id, inquam, intuli non aliunde, quàm ex conſpicua claritate Regeneratorum, quibus ille cætus ſolus & vnicus ex omnibus exornatur: con-

cidit ergò id omne, quod tradis à cap. 13. vsq; ad finem totius Tractatus: nil enim aliud actitas, quam demonstrare, non posse veram Ecclesiam inferri ex auctoritate Conciliorum; neq; ex illa vitæ sanctimonia, quæ assumit cruces voluntarias; neq; ex miraculis, seorsum à vera sanctitate consideratis: quæ omnia tibi lubens concedo: scilicet, auctoritas Concilij non est illud principium indemonstrabile, vnde peto, & exigo deductionem fidei Christianæ. Illæ duntaxat actiones, quæ sũt præter supra, & cõtra vniuersã naturam editæ à Deo in testimonium legis & doctrinæ, à se reuelatæ, quarum omnium præstantissima, & sublimis est regeneratio peccatoris in filium Dei: eiusmodi, inquam actiones sunt illa lux diuina, vnde irrepsit in nos fides Christiana; tametsi harum memoria peruenerit ad hanc mundi ætatem, attestatione historicâ humanâ.

Verùm, licet ad distinguendum Christianismum à Paganismo, præter

argumentum à regeneratis, alia quoquè adhibeantur, prout dixi lib: 6. cui titulus eſt: Dearticulatio doctrinæ Chriſtianæ, vt eſt confirmabilis ratione; tamen vera Eccleſia non poteſt diſtingui commodius, & luculentiùs vllo argumento, quàm Regeneratis: ſiquidem hi ſic ſunt proprij fructus veræ Eccleſiæ, vt ficus veræ ficulneæ. *Numquid colligunt de ſpinis vuas, aut de tribulis ficus?* Quód verò ſentias, ſæpiuſq; repetas, Catholicam fidei regulam à me exaratam, eſſe nouam, meumq; commentum nouiſſimè excogitatum, tribuo ignorantiæ rerum noſtrarum.

Theologi Catholici omnes, vbi tractant de fide, diſtingunt motiua fidei, à notis veræ Eccleſiæ. Motiua fidei alliciunt infideles ad Eccleſiam. Notæ Eccleſiæ reuocant Hæreticos ad Eccleſiam. Libro 6. enumeraui potiora motiua fidei. Lib: 7. & 8. aſſumpſi in meum argumentum vnicam Notam veræ Eccleſiæ, ſcilicet Regeneratos claros miraculis, & vitæ ſanctitate:

hæc enim Nota est prægnans reliquarum omnium. Vos, ut plurimùm reprehenditis, quod ignoratis.

CAPVT XXIII.

Satisfit Vlrico quoad duo argumenta ab eo proposita.

PORrò liceret te dimmittere, velut sufficientissimè confutatum; sed ne existimes despici tuam argumentationem, volo iuxta formam logicalem tibi respondere. Pono tuum textum ex Cap: 20. §. 3. vbi conaris congerere vniuersam doctrinam meam in tres syllogismos, quos reducis ad tres propositiones, quas demonstres esse falsas. Inquis ergò.

Tota igitur Regula tua trino constat syllogismo sic.

I. Quicumq; edunt vera miracula, illi sunt verè Regenerati.

At Capuccini edunt vera miracula.

Ergo Capuccini sunt verè Regenerati.

II. Cuiuscumq; Ecclesiæ membra sunt verè Regenerati: illa Ecclesia est vera Ecclesia.

At Ecclesiæ Romanæ membra sunt regenerati Capuccini.

Ergò Ecclesia Romana est vera Ecclesia.

III. Quicquid docet Ecclesia vera, illud est verum.

At Romana Ecclesia est vera Ecclesia.

Ergo quicquid Romana Ecclesia docet, illud est verum.

Hæc est tota vis Regulæ tuæ. Cui pro fundamento stant tres illæ propositiones maiores: tanquam immotæ veritatis bases.

I. Quicumq; edunt miracula vera, illi sunt verè Regenerati.

II. Cuiuscumq; Ecclesiæ membra sunt Regenerati; illa Ecclesia est vera Ecclesia.

III. Quicquid docet Ecclesia vera, illud est verum.

Edißere iam Valeriane, fundamenta hæc pro tuis agnoscisne?

Respondeo ad primum argumentũ, & dico, maiorem, seu primam propositionem esse falsam, & nego, hoc argumentum esse meũ. Meum sic habet.

Quicumq; clarent vitæ sanctitate & miraculis, ij sunt in vera Ecclesia.

At qui-

At quidam Capuccinorum clarent vitæ ſanctitate & miraculis. Ergò quidam Capuccinorum ſunt in vera Eccleſia. Vitæ ſanctitatem diſtinguo à regeneratione. Sanè regeneratio nil aliud eſt, quàm ſanctitas vitæ, ſed intima animæ, quæ ſoli Deo patet. Sanctitas verò, quam aſſumo in argumentum, eſt externa, quæ vltrò patet: puta; colere Deum, cuſtodire Sabbathum, honorare parentes, non furari, non adulterari, non falſum teſtimonium dicere, & alia eiuſmodi: obſeruantiæ mandatorum Dei ſuperaddere obſeruantiam conſiliorum Euangelicorum, puta vincere omnem voluptatem humanam ex quocumq; obiecto poſt Deum; & intereà, quæ futura ſunt prænunciare: proximo impetrare à Deo per merita Chriſti ſalutem animarum & corporum; ſcilicet, exemplo, viua voce, & energia Sancti Spiritus conuertere homines malos à peccatis ad Deum: ſanare corporales morbos incurabiles: cæcis viſum reſti-

tuere

tuere, mortuos ad vitam reuocare; & cum his omnibus non extare exemplum affectatæ vel gloriæ, vel substantiæ huius Mundi; sed cum summo sui, omniumq; post Deum contemptu, solum Deum spectasse. Id ego dico clarere vitæ sanctitate & miraculis; cuiusmodi argumentis, & non alijs, veneror Moysen & Prophetas, Christum & Apostolos, & recipio sacrum textum: imò hinc credo existere Deum, qui inquirentibus se remunerator sit. Tu verò, qui negas, fidem Christianam resolui in eiusmodi principia, edissere nobis, quid sit id, in quod eam logicè resoluis.

Secundum argumentum recognosco meum, contra quod hæc habes §. 9. *Secundam propositionem principalem infringo testimonio tuo. Concedis enim quosdam, etiam inter Hæreticos, regenerari, his verbis:* Regeneratorum *sunt plures in singulis cœtibus* Hæreticorum: *ij scilicet, qui post sacrum* Baptisma *paruuli decedunt hâc vitâ; necnon & alij, qui adulti errant in fide citra culpam, & post lapsum reparan-*

parentur ad iustitiam (p. 2. p. 223.) Hoc si verum est, falsa igitur propositio illa: Cuiuscumque Ecclesiæ membra sunt Regenerati, illa est vera Ecclesia. Nam si in singulis cætibus Hæreticorum (vt modo dixisti) regeneratorum plures sunt; ergo singuli cætus Hæreticorum veræ sunt Ecclesiæ. Ergò quot Hæreticorum cætus, tot Ecclesiæ veræ. Ergò in quocumque hæreticorum cætu quis viuat, in vera Ecclesia viuit. Ergò Ecclesia Romana non est sola vera Ecclesia, &c. &c. Vides quò te assertionibus tuis deduxeris: Aut igitur hæc absurda concede, aut Propositionem illam nega. Dices. Ego in hac Propositione non simpliciter Regeneratos, sed Regeneratos miraculis claros intelligo. Resp. Scio. Ita enim definiuisti (p. 2. p. 223.) Aliud esse hominem regenerari, aliud Regeneratum diuinitus clarescere in Orbe. Sed iam demonstratum est, etiam Hæreticos, & Pseudoprophetas, & Antichristum Miraculis orbi clarescere posse. Ergone Ecclesia, cuius illi membra sunt, & erunt, vera erit Ecclesia? Retrahe te, Propositionemque tuam dimitte: falsa enim est.

Excusaui, Vlrice, crimen falsi, cuius suspicionem contraxisti ex falsa citatio-

tatione & D. Thomæ, & Stapletoni; velut hos allegaueris non visos in fonte, sed ab alijs falsè citatos: hoc verò loco producis meum textum, non quidem falsificatum, sed mutilum; scilicet, dissimulasti illam partem, quæ detegeт calumniam, quã mihi imputas: neq; asserere possum, à te meum textum non fuisse & lectum, & consideratum: siquidem *Cap.* 13. §. 1. sic dicis: *Emedullata rectè puto omnia tua, Valeriane libris 8. tradita: nobisq; iam sic satis liquere mentem tuam &c:*

Imò, vbi me affaris in principio tui Tractatus, hæc habes:

Legi enim, atq; prorsus diligenter legi, & relegi tuum de Acatholicorum & Catholicorum credendi regula iudicium.

Sed quæso te, tertium lege, & considera prorsus diligenter hunc meum textum à te, vbi supra, citatum; scilicet ex *lib.* 8. *Cap.* 2. Regeneratorum, sunt plures in singulis cœtibus hæreticorum: ij scilicet, qui post sacrum Baptismа, paruuli decedunt hac vitâ; nec

nec non & alij, qui adulti errant in fide citra culpam, & post lapsum reparantur ad iustitiam. Verùm aliud est hominem regenerari; aliud Regeneratum diuinitus clarescere in Orbe. Non aio, eum cœtum necessariò esse veram Christi Ecclesiam, ex quo nonnulli regenerantur; sed ex quo solo aliqui Regeneratorum diuinitus clarent in Orbe. Clarent, inquam, vt exposui libro superiore, & infra exponam amplius.

Eam verò dico Dei Ecclesiam, in qua peccatores, ob merita Christi regenerantur, secundùm normam doctrinæ à Deo reuelatæ. Qui enim ex cætibus Hæreticorum, vti supra, regenerantur, non regenerantur secundum normam doctrinæ Hæreticæ; sed secundum eam partem doctrinæ, quæ vera est: nimirùm excusati apud Deũ, quod in reliquis materialiter decipiantur. Hæc Ego, loco citato.

Tu supponis in tua confutatione, me inferre regenerationem ex solis miraculis, & propterea subinfers: *sed*

iam

iam demonstratum est, etiam Hæreticos, & Pseudoprophetas, & Antichristum miraculis orbi clarescere posse. Ergone Ecclesia, cuius illi membra sunt & erunt, vera erit Ecclesia? Hæc dicis; & tamen tu scis, meum textum sic habere, Non aio, *eam cætum necessariò esse veram Christi Ecclesiam, ex quo non nulli regenerantur, sed ex quo solo (NB.) aliqui Regeneratorum diuinitus clarent in Orbe. Clarent, inquam, vt exposui libro superiore, & infra exponam amplius. Scilicet, clarent vitæ sanctitate & miraculis.* Vis ergò mei argumenti consistit in coniunctione miraculorum cum vitæ sanctitate, & in vnicitate cætus, qui claret miraculis coniunctis cum vitæ sanctitate; miraculis, inquam, quæ solus Deus efficere potest.

Patraui aliquando opus, ex quo mihi obuenerat gloria non exigua apud omnes conscios; facti inuidia verò apud nonnullos. Hi publicaruut arte multiplici factum, velut oppositum, & contradictorium illi, ex quo habebam laudem publicam: nimirùm, factum, egregium mihi vertebant probro, ac dede-

dedecori longe lateq; per orbem. Mirabar ego impudentiam, sed fuit qui assereret illorum prudentiam, videlicet, eos, qui malè sentiant de me, fore artibus illis millecuplò plures ijs, apud quos nactus essem laudem. Vereor, Vlrice, quòd speraueris, eos qui lecturi sunt tuum Tractatum, fore multò plures ijs, qui visuri sunt mea opuscula, quibus fortassis scripsisti, non mihi: & si quam notam falsi, & impugnatæ veritatis agnitæ exhorruisti, hanc cōpensasti certiore spe laudis & gloriæ, quam apud reliquos sis aucupaturus: sic inquam, vereor, non tamen iudico; immò nec excutio opinionē, quā concepi de animi tui cādore: arduum est, mutare religionē etiā cū videtur falsa.

CAPVT XXIV.

Satisfit tertio argumento adducto ab Vlrico, & capitale Valeriani argumentum confirmatur.

HÆc pro meo syllogismo, quem secundo loco ponis. Nunc eo succursum tertio. Is est. *Quic-*

Quicquid docet Ecclesia vera, illud est verum.
At Romana Ecclesia est vera Ecclesia.
Ergò quicquid Romana Ecclesia docet, illud est verum.

Huius syllogismi propositionē Maiorem, nempe primam, negas; & conaris demonstrare falsam. §. 7. Capitis 20. Pono tua verba.

Tertiam propositionem delumbo Ecclesiæ Iudaicæ exemplo: quæ ad mortem vsq; Christi (vbi sacrificio nouo nouum fundatum est fœdus) vera fuit Ecclesia. (Nec enim aliam habebat Deus: habere autem aliquam visibilem oportuit, vobis ipsis testibus.) Et tamen non quicquid illa docebat, verum fuit. Quippe Leges & Prophetas malè interpretabatur in multis, Christo teste, Matth: 5. 6. 7. capitibus & alibi) Quinimò contradicebat Prophetis, & mactabat Prophetas; sicut & Messiam tandem: ob quod extremæ ingratitudinis facinus, demùm abiecta fuit, populusq; nouus in Ecclesiam nouam per gentes omnes quæsitus. Ergò verum non est. Quicquid Ecclesia vera docet, illud est verum.

Si, Vlrice, in vnum confero illa, quæ vrges, & laudas in tuo Tractatu, tametsi

metsi efficacissimè obscurent, & confundant veritatem doctrinæ Christianæ, exhorresco; & nisi aliunde, ex tuo tamen libro, conijcerem meliusculè de tuo studio erga veritatem Catholicam, timerem tibi, te esse in felle amaritudinis, & obligatione iniquitatis coram Deo. Doces enim.

Quemlibet & quamlibet debere censere ex sacro textu de Conciliorum, etiam generalium, doctrina fidei.

Admittendos esse ad Conciliũ generale singulos de plebe Christiana.

Vera miracula esse communia Deo, Diabolo, Christo, Antichristo, & Pseudoprophetis.

Post Apostolorum ætatem nulla edi miracula in Ecclesia Christi.

Post Apostolorum ætatem nullos eijci Dæmones in Ecclesia Christi.

Omnem vitæ sanctitatem ex obseruantia consiliorum Christi vituperas.

Auctoritatem historicam de sanctorum vita & miraculis, censes indignã, quæ admittatur à fidelibus.

Et pleraq; alia eiuſmodi habes, quæ innuunt ſtudium pertinax obſcurandæ potiùs, quàm elucidandæ veritatis.

Si Eccleſia per te ſit vera, quomodo doctrina fidei erit falſa? nimirùm, vobis Bibliſtis non ſufficit voluiſſe reformare doctrinam illius Eccleſiæ, quam exiſtimatis Synagogam Sathanæ; ſed eo animo eſtis, vt nodum quærere velitis in ſcirpo: ſcilicet, tametſi vobis conſtaret, Eccleſiam Catholicam eſſe veram Eccleſiam, tamen examinare vultis, ſi quos habeat errores in fide, inq; eos animaduertere ex ſacro textu: idq; non vnus, aut alter duntaxat, ex doctioribus de veſtris cœtibus; ſed quilibet, & quælibet hoc præſumit; & tamen tu ſæpius me reprehendis, quod mirer, vnum Martinum Lutherum eiuſmodi doctrinis illuſiſſe toti Germaniæ. Experiar, quid ſentias de hoc argumento, quod tamen coincidit cum ſuperiore.

Fides communicantium in doctrina cum Vrbis Epiſcopo, regenerat peccatores in Filios Dei.

At

At illa fides, quæ regenerat peccatores in filios Dei, necessario est vera. Ergò fides communicantium in doctrina cum Vrbis Episcopo, est vera. Si dicas, eiusmodi fidem esse falsam, eo ipso te existimo insanum, & abrũpo seriem disputationis nostræ: neq; enim possibile est, aliquem euidentius redarguere disputando, quàm adigere ad eiusmodi insanas negationes. Sin verò concedis, fidem regenerantem esse veram, cur negas, cætũ communicantium in ea fide habere veram fidem? Videsne, quo successu redegeris meam doctrinam ad tres præfatos syllogismos; negaueris q;, posse ex regeneratis inferri veram Ecclesiam, & ex vera Ecclesiâ veram fidem. Desunt tibi latibula: desunt effugia: qua propter conaris inducere vniuersales tenebras, vt facilius lateas.

Hisce verò à te Cap: 20. vt prefertur deductis, §. 8. gloriabundus ita inquis: *Ergò omnes tres syllogismi tui falsis nituntur fundamentis, Ergo omnes falsi sunt. Ergò om-*

gò omnes falsum concludunt. Ergò principalis syllogismus tuus (libro tuo viij. c. 2. positus, & à me hic supra Cap 12. §. 7. integrè transcriptus) totus ruit. Falsa quippe in eo est Maior, falsa Minor, falsa Conclusio, falsæ Consequentiæ: aut certè non ideò veræ, quia eas tibi tanquam ex præmissis fluentes, subnectis: non enim fluunt, sed coaceruantur.

Repono hoc loco meum Syllogismum capitalem.

Communicantes in fide cum Romano Pōtifice sunt cœtus Christianorum, qui solus in Orbe claret Regeneratis.

At ille cœtus Christianorum, qui solus in orbe claret Regeneratis, necessariò est vera Dei Ecclesia.

Ergò communicantes in fide cũ Romano Pōtifice sunt vera Dei Ecclesia.

Huius argumenti negas Maiorem, negas Minorem, negas Conclusionem: negas & consequentias, quas habeo *lib.* 8 *Cap.* 2. scilicet.

Ergò Deus est existens.

Ergò Deus misit Iesum à Nazareth humani generis Redemptorem.

Ergò vera fidei doctrina seruatur incorrupta in cætu communicantium in fide cum Romano Pontifice.

Ergò communicare in fide cum Romano Pontifice est Ecclesiastica regula credendi.

Ergò Deus claritate Regeneratorum confirmat Romani Pontificis auctoritatem; & simul prodit suam existentiam.

Demùm nullus irrepsit error in fidem Catholicam ab Apostolis, scriptoribus Canonicis, interpretibus, à Cōcilijs generalibus, Typographis, seu ab alijs eiusmodi quibuscumq; quandoquidem in ea fide regenerantur Fideles.

Tu ergò, tametsi ex omnibus cætibus Christianorum extaret vnus, qui solus in Orbe clareret Regeneratis, nō tamen exinde inferres existere Deum, qui miserit IESVM a Nazareth humani generis Redemptorē, eiusq; doctrinā seruari incorruptam in præsupposito cætu; sed contendis, singu-

los

los & singulas debere ex sacro textu censere de doctrina fidei quorumcumq; Christianorum. Verùm dixerim satis de hoc vestro errore, & tandem examino, quid habeas contrà Minorem propositionem præfati syllogismi. Ea est:

Cõmunicantes in fide cũ Romano Pontifice sunt Cœtus Christianorum, qui solus in Orbe claret Regeneratis.

Hãc distinxi in duas partes: scilicet.

I. Cœtus communicantiũ in fide cũ Romano Põtifice claret Regeneratis.

II. Nulla Sectarum diffidentium in fide cum Romano Pontifice claret Regeneratis.

Primam partem probaui inductione Miraculorum, quæ contigerunt ab ætate Apostolorum, & signanter eorum, quæ hâc nouissimâ ætate ediderunt nonnulli Capuccinorum; de quibus certò constat communicare in fide cũ Vrbis Episcopo.

Facti veritatem quoad Capuccinos, probaui auctoritate Annalium nostrorum,

rum, inquibus nil sit relatum non i ramento firmatum: potiora verò si congesta ex quatuor nostri Ordi Patribus, qui contexuerint historia natalium Ordinis Capuccinorum, fu rintq; homines eximiæ & competi mæ virtutis, quorum tres claruerint miraculis. Hisce accedit auctorita ex lege pœnali lata per Concilij Tridentini Patres, perq; alios Canones, & Romanos Pontifices, contra eos, qui miracula falsa publicauerint. Demùm, sæpius vos prouocaui ad inquisitionem de veritate facti: scilicet, notaui locum, tempus, propria nomina, turbas testes; allegaui, memoriam esse recentem, extare vestigia & monimenta veritatis, & viuere plerosq; aut oculatos, aut auritos testes, aut certè quibus obtigit donum Dei ex aliquo miraculo. Dixi, facilius me pronunciaturum mille veritates, quàm adornaturum vel vnicum eiusmodi mendacium. Quid tu ad hanc meam sinceram propositi facti confirmationem, in

qua vestros oculos optaui veritatis testes? Sic habes Cap. 21. §. 16. *Ain? Siccine conciliatur narratus fides? Demolitionem Monasterij verbo irati Capuccini Anno 1554. factam, adire & spectare iubemur Anno 1641. post annos 87? Satis argumenti. Simile est, quod habes pag. 260. Nolim existimetis me expressisse de Annalibus nostris omnia Miracula, seu prodigia, quæ huc spectant. Obruor multitudine: nec vacat ex innumeris secernere potiora. Si hæc iactantiæ tributis, consulite Annales nostros, & tum in me pronunciante &c: Bellum argumentum! Quasi verò de eo quæstio sit, An hæc alicubi apud vos scripta sint, & non potius, An facta sint?*

Tu ergò, mi Vlrice, mihi imputas hanc insaniam, quod desiderauerim vestram præsentiam, visuri oculis vestris Anno 1641. demolitionem Monasterij factam Anno 1554. Infra verò imputas aliam insaniam planè ridiculam, scilicet, me desiderasse vestram præsentiam vt oculis vestris videatis, an quæ à me promulgantur miracula, sint apud nos alicubi scripta: non dubito, esse apud vos plurimos,

 qui

qui me ex tuo Tractatu censeant insanum ac delirum: tu verò contra tuam conscientiam me, vti supra, traducis: cùm in meo textu non semel, sed sæpius vos prouocem, non ad visionem miraculi, aut codicis; sed ad argumenta præsentissima facti, quod præterijt ante multos annos; cuiusmodi sunt consueta monimenta rerum præteritarum.

Non absimili inuidia suggillas ea ex à me enumeratis miraculis, in quæ credidisti, posse te acuere tuum stylum elegantius: v. g. Cap. 3. tuæ Append: §. 9. ita habes: *Vobis panem de Cælo sæpissimè dari, fontes in vinum mutari: Vobis canes panes: Vulpes gallinas: Feles auiculas, & lepores: Scrophæ porcellos: Accipitres columbas: Angeli ipsi panes & turdos, & quid non? afferunt.* Et tamen accurratè perlecto toto tuo Tractatu, non commemoras, aut consideras vllum ex illis miraculis, quod, si præsupponatur verũ, potest sit confirmare fidem, & arguere Regenerationem; cuiusmodi sunt homines

nes mortui reuocati ad vitam, cæcis impertitum lumen, & alia eiuſmodi: nimirùm, non potuiſti occulere ſtudium obſcurandæ veritatis: nam, vel negas factum, vel, ſi ipſum concedis, derides: ſin autem nec negare, nec deridere potes, non commemoras, ſed planè diſſimulas.

Itaq; veritatem miraculorum, quæ adduco vel ex vniuerſâ hiſtoriâ Eccleſiaſticâ, vel ex Annalibus Ordinis Capuccinorum leuiſſimè ſubmouere conaris: illa antiquiora aſſerendo ceſſaſſe cum Apoſtolorum ætate: hæc recentiora, duplici calumniâ; ſcilicet, quaſi prouocauerim vos ad legendum codicem, in quo enarrantur miracula; vel ad nunc contuendum oculis actionem miraculoſam, quæ prætęrierit ante multos annos: & propterea quaſi ſtupore attonitus, ſic me affaris. *Ain? ſiccine conciliatur narratis fides?* Caius conceſſerat centum aureos Cneo; quos cum repeteret, Cneus vultu acerrimo conuerſus in Caium, dixit coram adſtanti-

ſtantibus: Siccine ſuffuratam à te mihi ſummam centum aureorum reſtituis, vt etiam totidem aureos ſub titulo mutui à me repetas? fecitq; fidem hac rephehéſione apud ignaros facti, ſe iniuſtiſſimè grauari à Caio. Fateor tamé, me prouocaſſe vos ad lectionem annalium noſtrorum non credituros annalibus ſimpliciter, ſed cognituros multitudinem miraculorum narratorum, quæ tamen ego præterij.

CAPVT XXV.

Vtrum cœtus Acatholici ediderint miracula.

ALtera pars propoſitionis Minoris mei argumenti capitalis eſt iſta: Nulla Sectarũ diſſidentiũ in fide cũ Romano Pôtifice, claret Regeneratis.

Diſtinguo Bibliſtas à reliquis Sectis. Tuam Sectam, cuius te profiteris membrum, laudas à carentiâ Miraculorum; & exinde infers, vos Bibliſtas non eſſe Seductores, cuiuſmodi ſunt illi, apud quos miracula patrantur.

De re-

Dereliquis verò cætibus Christianorum, quos censes hæreticos, asseris claruisse miraculis: nam Cap. 17. §. 6. mihi asserenti, solos Catholicos claruisse viris vitæ sanctitate & miraculis, ita respondes: *Sed contradicunt tibi Historiæ, sacræ & profanæ; Patres item, & pleriq; è vestris, miracula non solùm Hæreticis, sed & ipsis Ethnicis concedentes: Non legisti apud Sozomenum (lib: 8. hist: Eccl: cap: 24.) Nouatianorum miracula? & Baronium ad Ann: 515. n. 50. ex Cedreno scribentem? Macedonius hæreticus multos à morte sua morbis liberauit. Cumq; iam esset in sepulchro condendus. antequam id fieret, sublatâ dextrâ manu crucis signo, sepulchrum obsignauit. Idem Baronius scribit (ad An: 71. n. 6.) Cæsarem Vespasianum saliuâ suâ cæco visum restituisse. Idem (An. 139 n. 4.) ex antiquo monumento, quondam Æsculapio sacro, sequentia descripsit: Hisce diebus Caio cuidam cæco oraculum edidit. Veniret ad sacrum Altare, & genua flecteret, à parte dextra veniret ad læuam, & poneret quinque digitos super Altare, & eleuaret manum, & poneret super proprios oculos. Et rectè vidit populo præ-*

lo præsente & congratulante, quod grandia Miracula fierent sub Imperatore nostro Antonino.

Rectè igitur scripsit Maiolus vester (tomo 2. Canicularium, p. 122.) Deum quandoq; occultis de causis permittere, vt qui eum minimè colunt, miranda faciant, quæ ipsi etiam fideles, veriq; Dei cultores, præstare minimè poßunt. asseritq; Gregorius M. tempore Antichristi, tortores sanctorum facturos Miracula, non sanctos. Scribit enim lib: 32. Moral: Cap: 12. sic: In alijs persecutionibus Tyranni torquebant corpus sanctorum, sed sancti multa miracula faciebant, quibus se superiores tortoribus ostendebant: tunc autem, qui torquebunt, miracula facient ante oculos sanctorum, ipsi verò nullum miraculum patrabunt.

Vnde tot Christi Apostolorumq;, de Pseudoprophetis cum suis miraculis cauendis, adhortationes. Quibus nixus Augustinus, Donatistis contra Ecclesiam Miracula iactantibus, sic respondet. Nemo dicat, hoc ideò verum est, quia illa & illa mirabilia fecit. Dominus, vel Pontius, vel quilibet alius &c: Remoueantur ista, vel figmenta mendacium hominum, vel portenta fallacium Spirituum. Aut enim non sunt vera, quæ

dicun-

dicuntur; aut si facta sunt, magis cauere debemus, quòd cum dixiset Dominus quosdam futuros esse fallaces, qui nonnulla signa faciendo, etiam electos, si fieri poßet, fallerent, adiecit vehementer commendans, & ait: Ecce predixi vobis &c: (Aug. lib. de Vit. Eccl. Cap. 16.) Vnde ergò tu Valeriane, id habes, vt Miraculis Regeneratos, & his Ecclesiam, & huic doctrinæ Veritatem, superstruas? Fallacem prorsus nobis in manum das regulam: apertè nobiscum contra te faciente Martino Delrio. Qui lib. 2. Disquis. Magic. quæst. 7. dicit, Consequentiam non esse bonam. Fecit Miraculum: Ergò fides eius est vera. Quæ consequentia cùm sit tua, non bona ergò est, eamq; inconsideratè obtrudis Ecclesiæ.

Tu probe noueras, Vlrice, me argumentari ex miraculis veris, scilicet ex ijs actionibus præter, supra, & contra vniuersam naturam, quarum principium sit solus Deus. Deinde non duco argumentum ex solis miraculis veris; sed coniunctim cum vitæ sanctitate, quam suo loco declaraui: id, inquam, tu optimè nosti. Si ergò tibi constas, si non malitiosè, & veteratoriè

riè mecum agis, sed sincerè, id supponere debes in tua responsione de sensu mei argumenti, quod nosti esse essentiale meo argumento. Expendo igitur præfatum tuum textum. Cum primis dicis: *Sed contradicunt tibi historiæ sacræ, & profanæ: Patres & pleriq; è vestris; Miracula non solùm hæreticis, sed & ipsis Ethnicis concedentes.*

Vlrice, si propositionem hanc in meo Tractatu negaui, sim falsus, & insipiens. Equidem negaui, nullum hæreticorum cœtum claruisse vitæ sanctitate & miraculis: quòd verò horum nonnullus ediderit; non dixi.

Quod verò siue Hæreticus, siue Paganus confirment, siue hæresim siue prohibitum Dei cultum vero miraculo; id dixi, non implicare contradictionem cum Diuina potentia, sed cum diuina sapientia & bonitate. Vide quæ hac de re habeo libro 8. cap. 5. vbi inter alia ita vos alloquor: Vos sciscitaminor ab hoc incommutabili, & æterno lumine, an deceat summè

bonum,

bonum, summeq; sapientem diuinitus clarificare Regeneratos, qui sint ex solo cætu hæreticorum; & renunciate mihi, quid tuleritis responsi.

Miraculum, siue edatur per hæreticos, siue per Paganos, potest ordinari à Deo sapientissimè & optimè in fines plerosq; citra confirmationem hæresis, aut paganismi; puta, si hæreticus inter infideles, in testimoniũ Christianæ fidei, illuminet cæcum à natiuitate. Si Deus hominem paganum, iniustissimè afficiendum extremo supplicio, redimat à penâ capitali, in testimonium innocentiæ illius. Si ob Reipub. bonum, Principi pagano conciliet auctoritatem apud populos, edito vero miraculo ad ipsius inuocationẽ. Hæc, inquam; & alia eiusmodi fieri posse non negaui, sed affirmaui: nunc verò affirmo, hæc tam raro contigisse, & horum memoriam esse tam obscuram, vt mihi perquirenti causas, ob quas Deus fuerit tam auarus miraculorum, non alia satisfaciat, quàm quod

Deus

Deus ſapientiſſimè voluerit, ipſa vera miracula, tametſi non coniuncta cum cum vitæ ſanctitate, eſſe velut propriam Notam cætus hominum colentium Deum, ſecundum normam legis à Deo reuelatæ. Haud dubium tu, & tui ſimiles accurato ſtudio peruestigaſtis; ſi quæ miracula patrata ſint ſiue ab hæreticis, ſiue ab infidelibus; quatenus nobis Catholicis præripiatis prærogatiuam tam diuinam. Videam ergò miracula hæreticorum, ex quibus tu inducis cõcluſionem, quam tamen ego non negaui.

Dicis ergò: *Non legiſti apud Sozomenum lib: 8. hiſt: Eccleſiaſt: Cap. 24. Nouatianorum miracula?* Vidi, mi Vlrice, legi, & attentius conſideraui textum à te allegatum; nec tamen vllum inueni miraculum Nouatianorum; ſed ſomnium duntaxat Siſinnij Epiſcopi Nouatiani, de Eutropij morum integritate, qui à Iudice ſubiectus quæſtionibus, vt indicaret incendiarios Eccleſiæ, obijt inter tormẽta. Cæterùm, ſat

ſat ſcio, Sozomenum, & Socratem hæreticos Nouatianos referre nonnulla miracula quorundam Nouatianorum. Ego verò non negaui, Hæreticos ſibi tribuere aliqua miracula; ſed pauca, obſcura, quæue ſi examinentur, ſecundum meam regulam argumentandi ex humano teſtimonio, quam ſum editurus, nullam faciunt fidem certam. Porrò non mihi vacat hoc loco inſtituere huiuſmodi examen, quandoquidem tu nullum ſpeciale miraculum producis.

Hæc de Nouatianorum miraculis. Conſulo Baronium loco citato, ſcilicet, ad annum 515. quem dicis, referre ex Cedreno miraculum Macedonij, hæreſiarchæ. Sic ergò habet Baronius.

Quid autem Macedonio in Armenia tunc exulanti contigerit, Cedr: in Annal. Cedrenus hoc eodem anno ita narrat. Macedonius quidam iam periculo proximus inde profugit; & Gangram peruenit. Anaſtaſius de hoc certior factus, iuſſit eum ibi rigidè cuſtodiri; miſſo etiam (vt aiunt)

aiunt) percußore. Sed Macedonius Gangræ mortuus, in æde Martyris Callinici tumulatus est, multosq́; à morte sua morbis liberauit. Cumq́; iam eßet in sepulchro condendus, antequam id fieret, sublatâ dexterâ manu, crucis signo sepulchrum obsignauit. Idem Theodoro cuidam suorum familiarium per visionem dixit: excipe hæc, & abi, & Anastasio recita: ego quidem Macedonius abeo ad patres meos, in quorum fide perstiti: Interim tamen semper Deum interpellabo, dum tu quoq; venias, & causa nostra disceptetur.] hæc auctor: eadem ex Theophane in Miscellâ, & Anastasius Bibliothecarius in Chronico, necnon, Theodorus Lector, nisi quod non ab eo obsignatum dicit sepulchrum, sed ipsum consueto more in sepulchro cruce signato eße reconditum. Porrò de miraculis nihil: nec quidem apud Græcos coli memoriam eius, sicut aliorum sanctorum, Menologia, quæ vidimus, vestigium vllum reddunt: si quæ enim vera ab eo edita miracula potuißent probari, vtiq; pro eo allata in testimonium fuißent, cùm de abolendâ eius memoriâ è sacris tabulis, in quas illata erat, actum est. Sed paßos demùm Constantinopolitanos, & Orientales Episcopos, sicut Acacij, ita & Macedonij,

donij, & Euphemij nomina expungi è Diptychis, suo loco dicemus. Hæc Baronius.

Eorum, qui tibi credunt, & Baronium non legerunt, puto ne vnicum esse, qui ex tuo textu non sibi persuadeat, Baronium retulisse in suos Annales miracula Macedonij ex Cedreno, velut, quæ de facto contigerint. Si non fallere, sed docere studes, debuisses notare, Baronium arguere falsi ipsum Cedrenum. Vide qualia, & quanta sint miracula, velut patrata ab hæreticis, quæ inducis ad confutationem mei argumenti. Fateor, Vlrice, me credidisse certo certius, vos non negaturos Maiorem mei capitalis argumenti: Atheismum induceret negatio illa, si fidem acquireret. Existimabam (quod vnicè supererat vobis) vos coaceruaturos ex Historicis Ecclesiasticis viros vitæ sanctitate, verisq; miraculis conspicuos, ex ijs cœtibus, qui non communicant in fide cum Vrbis Episcopo. Id effecisse, fuisset confutare Valerianum. Verùm, credidisti,

te

te facilius persuasurum illam, quam pono vitæ sanctitatem, esse hypocrisim damnatam à Christo; & illa, quæ induco miracula, esse communia Deo, Diabolo, Christo, & Antichristo, quàm enumerare viros conspicuos vitæ sanctitate, & miraculis ex cætibus Christianorum, non communicantium in fide cum Romano Pontifice.

Sed pergo examinarẽ tuũ textum. Statuis §. 8. in exemplum nobis D. Augustinum lib: de vnit. Eccles: Cap: non 16. vt tu citas, sed 19. disputantem contra Donatistas, velut qui abnuerit argumentationem à miraculis. Sed quoniam mihi suspectus es in eiusmodi citationibus, volui videre Augustinum in fonte; & deprehendo, tibi remansisse in calamo aliquot dictiones pertinentes ad textum Augustini, tuo consilio minimè accomodatas. Tu inter alia refers velut verba Augustini hæc: *Aut enim non sunt vera quæ dicuntur; aut si facta sunt magis cauere debemus.* Si hæc est sententia Augustini, cauendum

dum nobis eſt à miraculis falſò iacta-
tis; ſed multò magis à miraculis verè
patratis: ſiquidem hæc efficacius falle-
re poſſunt. Et ſanè non potuiſſes quic-
quam proferre magis accomodatum
ad confutationem mei argumenti,
quàm producere Auguſtinum ſummæ
auctoritatis inter omnes Eccleſiæ Pa-
tres, abhorrentem miracula vera ma-
gis quàm falſa. Sed Auguſtinus mul-
tò aliter loquitur, quàm loquatur per
tuam Echo. Ita habet textus: *Aut enim
non ſunt vera, quæ dicuntur; aut ſi hæretico-
rum aliqua mira facta ſunt, magis cauere debe-
mus.* Mira, inquit, non miracula: ſcili-
cet, vt paulò ſupra dixerat, vel figmẽ-
ta mendacium hominum, vel porten-
ta fallacium ſpirituum. Me tui pudet,
Vlrice, tametſi non ſim Bibliſta, cùm
ſis Chriſtianus. Exiſtimarem, te deſi-
pere omninò, ſi tuo codici prænotaſ-
ſes nomen tuum. Culpanda ergò eſt
Echo tua Bleſa, quæ receptas voces
non reddit integras: nam nec D. Th;
neq; Cani, neq; Stapletoni, neq; Ba-
ronij,

ronij, neq; Auguſtini neq; Valeriani voces ſibi allapſas repercuſſit integras; ſed prudenti conſilio aliquas repreſſit in imo gutture, illaſq; tantum, quæ ſuo Vlrico diſplicent.

CAPVT XXVI.

Repetitur Syllogiſmus capitalis, cum redarguta confutatione Vlrici.

VT verò cuncti, qui lecturi ſunt hanc meam reſponſionem, intelligant vno quaſi aſpectu, quàm neruoſè, quamue feliciter confutaueris Catholicam credendi regulam à me exaratam, volo hoc capite exhibere commentarium totius diſputationis. Repeto Syllogiſmum, in quo congeſſi omnem meam ſententiam de verâ regula credendi.

Ille cœtus Chriſtianorum, qui ſolus in Orbe claret Regeneratis, neceſſariò eſt vera Dei Eccleſia.

Cõmunicantes in fide cum Romano Pontifice, ſunt cætus Chriſtianorum, qui ſolus in Orbe claret Regenatis.

Ergò

Ergò Cõmunicantes in fide cũ Romano Põtifice, sunt vera Dei Ecclesia.

Propositionem Maiorem, videlicet primam, tu negas, quam negauisse, est esse euidentissimè redargutum, & conuictum. Quis enim, exceptâ vnica tua Echo, neget, eum cœtum Christianorum esse veram Ecclesiam, qui solus in Orbe producit fructus veræ fidei, scilicet, peccatores regeneratos in filios Dei, claros vitæ sanctitate & miraculis? Quæ fides Christiana fuerit vera, si illa non sit vera, quæ sola efflorescit in Regeneratos claros miraculis & sanctitate? Sit verũ, vt tu asseris, eum cætum Christianorum, qui solus claret Regeneratis, nec esse veram Ecclesiam, nec profiteri veram fidem; quæso te, per Deum immortalem, quis, de reliquis cætibus Christianorum, per te fuerit vera Ecclesia, colueritq; veram fidem, siquidem reliqui cætus omnes nullo clarerent Regenerato? Illam ergò propositionem negas? audesq; tete toties statuere in exemplum animi nõ

præoc-

præoccupati ab vlla præconceptâ opinione? Infelix negatio: & multò infelicior confirmatio negationis. Sanctitatem ex obſeruantia conſiliorum Chriſti blaſphemas, velut hypocriſin, iniuriamq; Chriſto illatam. Vera miracula communia facis Deo, Diabolo, Chriſto, Antichriſto, & Pſeudoprophetis. Citas in hanc ſententiam corruptos à te, mutiloſq; textus, duos ex D. Thoma, tertium ex Stapletono: & hiſce artibus ſperaſti triumphum de tuo Valeriano. Vtinam è latebrâ, tibi proximâ, liceret mihi ſpectare vultum tuum, cùm ſolus hæc lecturus es: attentiſſimus notarem, ſi qua erumperet nota pudoris. Vereor enim, tuam Echo non eſſe obnoxiam huic paſſioni. Nec mirum: nam, ſi Ouidio credimus, Echo eſt Nympha conuerſa in ſaxum, quæ nil humani ſeruauerit, præter vocem. Parce, Vlrice, culpa grauior eſt, quàm quæ diſſimulari poſſit, aut debeat: nec minus offendiſti Bibliſtas, quàm Catholicos: quando-

qui

quidem euertis, quantum in te eſt, ipſum Chriſtianiſmum.

Minorem, ſeu ſecundam propoſitionem itidem negas. Fingis, me argumentari ab auctoritate Conciliorum, quod non feci. Seiungis miracula à vitæ ſanctitate, quaſi intulerim & regenerationem & veritatem fidei ex ſolis Miraculis, quæ ego ſemper coniunxi cum vitæ ſanctitate: quod tu ſemper diſſimulaſti. Miracula omnia ab ætate Apoſtolorum, ſtatuis inter fabellas, commenta, atq; deliria. Vitæ ſanctitatem eo loco reponis, quem ſupra inſinuaui: contendis, hæreticos claruiſſe miraculis: inducis teſtem Sozomenum Nouatianum, iactantem quædam Miracula Nouatianorum hæreticorum; ſed ne vnicum commemoras. Baronium producis, velut qui cum Cedreno narret Miracula Macedonij hæreſiarchæ; reticuitq; tua Echo bleſa eam partem textus Baronij, quæ Cedrenum coarguit falſitatis. Auguſtinum recuſantem argumenta à figmentis

mentis hæreticorum, vel portentis fallacium ſpirituum, citas, velut damnantem omnia miracula Catholicorum. Et tandem, velut præclarè confutaſſes Valerianum, etiam inſultas Cap 3 tuæ Appendicis, §. 13. vbi affaris Catholicos hiſce verbis:

Summa dictorum & dicendorum eſto. Date nobis verè Chriſtiana, & Apoſtolica, h. e. verè generalia, verè libera, verè non ad fallendum populum Chriſtianum, ſed ad emendandam Eccleſiam, comparata Concilia|. Date veram virtutē Chriſti, & Euangelij eius, quouis credentes, non Monachos tantum, in filios Dei regenerandi artem. Date deniq; miracula vera, non ſuſpecta. Atq; tum quid facto opus ſit, deliberabimus.

Atquæſo te; cuiuſmodi Concilium deſideras? Id apertè doces Cap: 1. tuæ appendicis, *Quantum ad Concilia, quia omne primum in ſuo genere cæterorum menſura eſt, à quo quicquid abit, degenerat: nobis Conciliorum menſura eſt Concilium primum Apoſtolicum, Act: 15. deſcriptum. Cum quo dum conferimus tua, enormitates emergunt abſurdæ. Ibi enim omnia piè, ſincere, ad veritatem geſta ſunt:*

sunt: hîc omnia callidè, quæsitis coloribus, ad fastum, & pompam. Ibi erat Concilium verè generale, h. e. (vt Vestri quidam ipsimet definiunt) collectio omnium fidelium, (omnis enim Ecclesia conuenerat, ℣. 22 23.) Tu vis solos Episcopos. &c. Infra verò §. 19. ita habes.

Absurdum est, Concilia à te Comitia Christiana vocari, & ab illis tamen, non solùm populum Christianum, sed & Principes, ac Reges, Præsbyterosq́ denique, & sacerdotes excludi. Solis enim Episcopis ius suffragij, Dictaturam autem vni inter illos assignas. Itáne cæteri Christiani, quod in Christianis Comitiis agant, habebunt nihil? Antonius de Rosellis Concilium definit, quod sit collectio omnium fidelium, atque ita in antiquis Concilijs obseruatum fuit.

Hanc sententiam repetis §. 22. vbi ita inquis: *Absurdum appellari Concilia Oecumenica, quæ talia non sunt. Scis enim vocis vim: ex toto habitabili orbe congregationem significat.*

Optimè, mi Vlrice, ad vestram scilicet confusionem.

Cuiusmodi vitæ sanctitatem desideras? satis te prodis Cap. 2. tuæ Ap-

pendicis §. 11. vbi blandè me ſic alloqueris: *Mi Valeriane, hæc ne ſunt arma veſtra contra ſalutis hoſtes? Veſtis auſtera, Cilicium, flagellum, deſertum, trabs raptata &c. Apoſtolus dicit: Arma militiæ noſtræ non eſſe carnalia: at iſta ſcuta veſtra prorſus carnalia ſunt.* Et paulò infra etiam miſericordiam tuam erga nos conteſtari voluiſti; *Ad illam igitur vitæ veſtræ Capuccinicæ auſteritatem & miſeriam, quam toties lamentabiliter deſcribis, non habeo, quod dicam, niſi quod vobis compatiar, veſtriq; me ſincerè miſereat. Non quod talia patiamini (dura enim aſſuetudine fiunt non dura) ſed quod talibus, vos placere Deo exiſtimatis, quæ ille nunquam mandauit. Quæſo te, Mi Valeriane, ſi Deus tibi dicat. Quis hæc requiſiuit de manu veſtra? habeſne in promptu quod reſpondeas?* Hæc mihi ſufficiunt vt intelligam, quam exoptes vitæ ſanctitatem. At miracula, quæ deſideras, qualia eſſe oportet, vt tibi ſatiſfaciãt? Reſpondes Cap: 22. §. 11. *Deniq; ſi miraculis certare placet, certemus: ſed ſerijs, non ludicris; veris, non fictis. Quæ illa? Gregorius Magnus nos doceat, qui Homil: 29. in Euang. ſic lo-*

sic loquitur: sancta Ecclesia quotidie spiritualiter facit, quod tunc per Apostolos corporaliter faciebat &c. Quæ miracula (spiritualia) tantò sunt maiora, quantò per hæc non corpora, sed Animæ suscitantur &c. Nam corporalia illa aliquando ostendunt sanctitatem, non autem faciunt. Hæc verò spiritualia, quæ aguntur in mente, virtutem vitæ non ostendunt, sed faciunt &c. Atq; huiusmodi miracula infideles ad fidem lucrifaciendi vim habere, etiam citra verbum Apostolus testatur, (1. Pet: 3. 1.)

Nimirùm, vis ex toto orbe congregari Christianos omnes, qui coeant in vnam sententiam de doctrina fidei; ex quo cætu nullus sit, qui adhibeat cruces voluntarias, seu consilia Euangelica; sufficiatq; si plurimi de illo cætu seruent mandata: Deum colant: dies festos custodiant: honorent Patrem, & Matrem: non occidant: non furentur: non adulterent aliorum vxores: non dicant falsum testimonium: hiq; sint verè Regenerati, quorum præfata bona opera sint vera miracula. Ad hanc ergò exhibitionem nos prouo-

cas. Ego verò ſciſcitor à te, qualem te exhibebis, ſi hæc omnia opere impleantur? Tu ſic reſpondes: *Atq; tum, quid facto opus ſit, deliberabimus.* Deliberabis? ò Deus! ſiccine deſpicis illos, quorum ſinguli & ſingulæ, ſecedentes ab Eccleſiæ auctoritate, ſeorſum ſapere præſumnnt ex ſacro textu?

CAPVT XXVII.

Reaſſumitur Catholicorum regula credendi, leuiſſimè confutata ab Vlrico.

SVm pertæſus, Vlrice, moleſtiſſimi conatus in ſuadenda veritate de ſe conſpicua, & diſſuadēdâ falſitate euidentiſſimè abſurdâ: neq; facilè vllus alius à me obtinebit huiuſcemodi commentaria de lana caprina, an ſint pili caprarum. Valedicturus ergò tibi, & alijs in hoc genere ſcriptitationis, congero tibi ob oculos, breui verborum circuitu, totum argumentum de vera Catholicorũ credendi regula.

Ego

Ego vt reuocarem ſingulos & ſingulas ab inſano conſilio, cenſendi ex ſacro textu de doctrina fidei, traditâ ab Eccleſiâ vniuerſali, vobis ob oculos diſtinxi præſentes, præteritoſq; Chriſtianorũ cæt⁹; ſcilicet Catholicos, Lutheranos, Caluiniſtas, Anabaptiſtas, Puritanos, Socinianos, Arianos, Neſtorianos, & alios eiuſmodi: tradidiq́; regulam, ſecundum quam dignoſcatis eum cætum Chriſtianorum, qui ſolus, ex omnibus enumeratis, ſit vera Chriſti Eccleſia. Non ablegaui quemlibet & quamlibet veſtrûm ad Eccleſiæ Patres, ad œcumenica Concilia, ad ſacrum textum; ſed ad illum cœtum, ex omnibus vnum, & vnicum, qui ab ætate Apoſtolorum vſq; ad hanc diem, ſolus ſemper claruit hominibus, Orbi conſpicuis vitæ ſanctitate & miraculis. Sit, Vlrice, quæſtio, quænam ficulnea ex omnibus, quæ numerantur in ficeto, ſit fæcunda. dicamq; ego ſciſcitantibus de fæcunditate ficulneæ, eam eſſe fæcundam, quæ ſola ex

omnibus, quæ ſunt in ficeto, profert ficus, reliquis planè ſterilibus: cenſeres, nètu, regulam à me traditam dignoſcendi fæcundam à ſterilibus, eſſe confuſam, turbidam, & mille erroribus obnoxiam?

Sanè *Cap.* 17. doces, argumentari veritatem fidei ex Concilijs, Regeneratis, & Miraculis, eſſe praxin operoſam, atq; difficilem: ego verò quadantenus tecum ſentio; imò exiſtimo, quemlibet & quamlibet ſcrutari ex ſacro textu doctrinam fidei, eſſe facilius, quàm depromere illam ex Codice Conciliorum generalium. At verò non ablegaui quemlibet & quamlibet ad lectionem aut ſacri textus, aut Conciliorum generalium; ſed ad eum cætum, qui ſolus ex omnibus ab ætate Apoſtolorum claruit, claretq; viris conſpicuis vitæ ſanctitate, & miraculis; cuius cætus doctrinam audiat & credat. Tu verò inſtas, & aggeras quæſtiones de ſanctitate, ſeu regeneratione vera, & de miraculis veris; &

cona-

conaris euincere, solutionem eiusmodi quæstionum. An scilicet iste vel ille sit verè Regeneratus: An hoc vel illud miraculum sit verum miraculum, esse multò difficiliorem plebi Christianæ, quàm fuerit priuatum cuiusq; scrutinium ex sacro textu:

Si, Vlrice, plures Christianorum cætus, dissidentes in fide, iactarent suos Regeneratos ex conspicua sanctitate & miraculis, tecum sentio, in eo casu fore difficillimum, secernere veros à falsis Regeneratis, vera à falsis miraculis. At verò diuina prouidentia sufficienter videtur cauisse suæ Ecclesiæ ab eiusmodi veritatis inuolucro perniciosissimo: nam, si seponamus futura tempora Antichristi, & præteritum Simonem Magum, & nescio, an alium eiusmodi, cætus Christianorum Acatholici, nec habuerunt, nec habent, vmbram sanctitatis & miraculorum; ita vt cætus Catholicorum, sic emineat inter Christianorum cætus Acatholicos, vt nulla institui possit compara-

tio, quoad ſanctitatem & miracula; perinde ac ficulneam, de qua ſupra, quæ vnica fructificat ex omnibus, quæ ſunt in ficeto, nemo ſanæ mentis comparauerit, quoad fœcunditatem, cum reliquis, de quarum ſterilitate conſtat ad oculum.

Porrò, vt clarius intelligas, quam vitæ ſanctimoniam ego traham in argumentum veræ regenerationis, & veræ fidei, ſcias, eſſe quandam morum probitatem dignam laude, quæ confert ad benè, beateq; viuendum intra naturæ ordinem. Eiuſcemodi ſanctitatis exempla communia ſunt non ſolùm Chriſtianis, ſed & infidelibus; inter quos reperias pleroſq;, qui Deum ſecundum ſuos ritus venerantur, diligunt proximum, propriaſq; actiones componunt ad normam virtutis moralis; ita vt nil ſit, quod in his reprehendere poſſimus. Profero in huiuſce vitæ ſanctitatis exemplum Titum Imperatorem Romanorum, quē Suetonius appellat *Amorem ac Delicias generis huma-*

humani. Hic, vt ait idem Auctor, *mox moriturus ſuſpexit cælum, multumq; conqueſtus, eripi ſibi vitam immerenti, neq; enim extare vllum ſuum factum pœnitendum, excepto duntaxat vno. Id quale fuerit, neq; ipſe tùm prodidit, neq; cuiquam facilè ſuccurrit.* Hæc ille.

Eſt alia ſanctitatis differentia, quæ non ſolùm non confert ad benè beateq; naturaliter viuendum; ſed etiam excutit iuſtam, naturalemq; huius vitæ voluptatem; quatenus nil ſpurij amoris ſe ſe miſceat, inficiatq; purum noſtrum amorem erga Deum. Seruare mandata, ſcilicet Legem Decalogi nón ſolùm confert, ſed neceſſarium eſt naturali noſtræ felicitati. Si quis veſtrum id non admittat, conſulat Ariſtotelem in Moralibus. At verò implere conſilia Chriſti, eſt quoddam genus miraculi. Sum annis 44. Capuccinus: nouit, qui ſcrutatur corda Deus, an obſeruauerim, quæ ſum profeſſus in hoc Ordine S. Franciſci: tu verò hæc accipe. Seruare conſilia Chriſti, animo non ficto, ſed ſyncero,

est humanæ naturæ tam intolerabile, vt sit impossibile, ferre obseruantiam illam, ob vllum labentis vitæ finem. Quotquot sunt Principum totius mundi, non possunt decernere mercedem, ob quã ego obseruarem animo syncero consilia Christi. Addo. Sine supernaturali auxilio Dei, impossibile est fragilitati humanæ, animitus obseruare consilia Christi; quæ tamen obseruantia iucundissima est, accedente gratia Dei.

Tu ergò profer mihi exemplum ex cætu Lutheranorum, aut Caluinistarum huiuscemodi sanctitatis. Puto, eos, qui negent, D. Paulum ex doctrina Christi, prætulisse Virginitatem & Cælibatum coniugio, per modum non præcepti, sed consilij, esse hæreticos impudentes, contra euidentissimum textum eius. *1. Cor. 7.* vbi ait. *De Virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus à Domino, vt sim fidelis &c.* Profer mihi vnam fæminam ex vobis, quæ nacta coniu-

coniugij opportunitatem optandam, c[illegible]erit Virginitatem, non ob alium finem, quàm vt impenſius Deo vacaret. Profer vnum hominem ex vobis, qui ob ſpem Iſraël eam vitam ducat, quæ omnem voluptatem excutiat, quatenus Deo tenacius inhæreat. Scio ex vobis eſſe pleroſq;, quibus Deus hæreſim materialem non tribuit culpæ. Audio eſſe cœnobium Virginum apud Luneburgum & plures in illis partibus: ſed fuit, qui mihi narraret, illuc pauperculas è nobilitate contrudi ferè, vt quibus ſpes nulla, aut exigua ſit coniugij, ſua ſorte digni. Velim exempla conſpicua animi, ſupra naturæ vires auerſi ab hoc ſeculo, atq; conuerſi in Deum. Non eſt ergò tam operoſum, tamq; difficile, mentem conuertere in illum Chriſtianorum Cætum viſibilem, toto Orbe terrarum effuſum, propagatum ab ætate Apoſtolorum ſucceſſione continuata, ſolum & vnicum ex omnibus, ſemper clarum innumeris conſpicuis ſanctita-

te, & miraculis. Conſule Calendarium vulgare, Martyrologium Romanum: numera inde Viros, numera fœminas, quorum memoria eſt in veneratione apud Eccleſiam; & nota mihi vnum, aut vnam, quæ non communicauerit in fide cum Vrbis Epiſcopo. Deinde recenſe vel præſentia, vel præterita tempora, & nomina mihi vnum vel vnam de cœtibus, non communicantibus in fide cum Romano Pontifice, qui claruerit ea, quam dixi, vitæ ſanctitate, veriſq; miraculis.

Diſtingue igitur inter Catholicos, & Bibliſtas. Illi conſcij, cœtum Catholicorum ſolum inter omnes clarere Regeneratis, conſpicuis vitæ ſanctitate & miraculis, ſecuri admittunt ſacram doctrinam, quæ in Eccleſiâ Catholica proponitur credenda, quam nemo omnium prohibetur ſcrutari ex ſacro textu; ſed nemo omnium eam ſcrutatur, dubitabundus de eius veritate. At verò ex vobis vnuſquiſq; & vnaquæq; dubia vniuerſæ doctrinæ,

quæ

quæ inter cætus Christianos vel dispu-
tatur, vel admittitur, eam examinat,
ad normam sacri textus: quod tantam
inuoluit absurditatem, quam nemo
vestrum potest ferre sine pudore,
& conspicua erubescentiâ.
Vale mi charissime
VLRICE.

INQVISITIO SVPER tribus miraculis à Deo patratis, facta de Mandato Rñd. & Smi. Archiducis LEOPODI Epi. Passauiensis &c. fideliter mandata ab Originali Germanico in linguam latinam.

SERENISSIME ARCHIDVX.

Princeps ac Domine D. Clementissime.

CVm paruo temporis interuallo, Cremsium inter & Stainium, in Sacello quodam, quod B. V. fonticulus vulgo nuncupatur, PP. Capuccinorum Ecclesiæ proximo, miracula nonnulla, virtute Omnipotentis, & intercessione Beatissimæ Virginis contigerint, mandata fuerit, Reuerendo ac Nobili Domino Vernero ab Haldenfeldt, S. Th. Docto-

Doctori, Decano Cremſienſi, eadem præmiſſo diligenti examine, & accurata totius rei geſtæ inquiſitione, ſtilo exarare; Quare vt huic tam ſerio mandato pleniſſimè ſatis fieret, miracula hæc, quoad liquida veritas indagari potuit, eo ordine, prout tempus, & anni curſus exigebant, conſcripta, hic denuo reuiſa, & diſpoſita. V. Serenitati ſubmiſſiſſimè tranſmittuntur.

Miraculum I.

PRimus, cui ad memoratum B. V. Sacellum, Dei virtute, & Cælorum Reginæ interceſſione, clauda, ac diſtorta membra, & in terram penitus detorta genua, 23. Auguſti, 1643. incolumitati ſunt reſtituta, dictus eſt Vitus Kopfmülner, annos natus ſex, & triginta, editus in lucem Pfaffenhong in Bauaria, Patre Georgio Kopfmülner,

Matre verò Eua Beedſelin. hic aliquandiu in editiore Ciuitatis Turri commoratus, ac etiamnum commorans, vigilias agebat, aſſerens, maluiſſe ſe, debilem licet, & claudum, maximo cum labore, & fatigatione incredibili, ſummitatem turris conſcendendo, & vigilijs attendendo, quàm ignauo mendicimonio ſuſtentari. Hic igitur, cum ab omnium, qui eundem puerum nouerant, & ſuimetipſius memoria, ita miſerum in modum, claudus fuiſſet, vt ei neq; Monacenſes, neq; Viennenſes Medici, â quibus ordinarie inuiſebatur, opis adferre quidquam potuiſſent, cumq; crebro aliorum opera, & auxilio niſus fuiſſet, num in rectam ſtaturam aſſurgere poſſet, nunquam tamen id perficere valuiſſet; Exiſtimabat equidem humani auxilij reſpectu, ſe omnem ætatem ſuam, in ſtatu tam calamitoſo tranſacturum,

per-

perſæpe tamen in animum inducebat ſuum, diuina ope poſſe ſe, membrorum incolumitatem adipiſci.

Quare, ex hinc totum orationi ſe dedens, lachrymas ſuas, & ſuſpiria inenarrabilia, ad Deum, & matrem eius glorioſiſſimam direxit, quatenus auxilio ſibi adeſſe non dedignarentur. Hinc eidem exſomni ſummo mane 23. Auguſti, ingens ſplendor eſt viſus, quo tamen mox diſparente, turris campanam, ſecundum ſuam conſuetudinem pulſauit. Poſt hæc ſomniauit, procedere ſe cum reliquis in ſolemni ſupplicatione, atque, inter eundum, reliquam multitudinem, claudo ſuo more præcurrere, eandemque ob cauſam ab omnibus irrideri.

Peracto ſomno, & ſomnio, licet ſtatuerit ad P. P. Societatis Eccleſiam, cùm eidem præfata turris adiaceat, ſe confer-

conferre, viſa nihilominus munda, & polita ſemita, ſecus ſe reſoluit, atq; ad R. R. P. P. Capuccinorum templum, viſitato prius ſupranominato B. V. ſacello, ſe contulit, vbi tribus Miſſarum ſolemnijs interfuit, terq; Roſarium decurrit, non tamen vnquam, vel ſibi imaginatus eſt, ſanitati membra ſua hac vice reſtituenda.

Precationibus ſuis hîc iſte abſolutis, denuo dictum ſacellum inuiſit, ibidemq; de nouo Roſarium inchoauit, quod tamen vix medium decurriſſe exiſtimat, interea Domina Roſina Wengerin, Chriſtophorus Weis, Chriſtophorus Rehur, cum alijs nonnullis, quos non obſeruauit, eôdem ſeſe penetrarunt, quorum omniũ teſtimonia, in maiorem rei fidem infra à nobis ponentur.

Dum autem præfatus Vitus orationi ſuæ hîc vacaret, & à Deo ſupplex exau-

exaudiri poſtularet, facies ei repente immutata eſt. Ad hæc ſubitaneo calore correptus, hinc inde ſe vertit: Intereaq́; quiddam ſibi ante oculos viſum aßeruit, quod ſe ad ſurgendum animabat; quare non diu moratus, Chriſtophorum Weis rogauit, vt ſe adiutaret, qui eum ſubito ſub axilla apprehenſum, in ſtaturam rectam erexit: Quo tempore ei denuo ita facies immutata eſt, vt neminem adſtantium cognoſceret, quoad P. P. Capuccini adfuere: ſenſiße tamen teſtatus eſt, ſe ſtare erectum.

His ita peractis R. P. P. Capuccini, cum eodem de hoc negotio ſunt ſermocinati, qui poſtmodum, Dei gratia, & V. Beatiſſimæ interceſſione, Cremſium ſcipione vſus, ſe in Parochialem S. Viti Eccleſiam contulit, inde eodem modo Turrim ſeruitij ſui cauſa conſcendit, tum melius in dies ſe in membris habuit,

buit, ita vt iam sine scipione & comite, quoquo velit, ire possit.

Huic narrationi sæpe fatus Vitus, hoc etiam annexuit, ingentem strepitum, seu fragorem in pedibus suis inter assurgendum esse editum, vt eum cæteri præsentes quoque audierint.

Et hæc est series celeberrimi huius miraculi, ab ipsomet Vito, cum ingenti gratiarũ actione erga Omnipotentẽ Deum, & Virginem Beatissimam, expositi, cuius se nunquam obliturum, sed semper omnibus in locis, toto tempore vitæ suæ, id prædicaturum recepit.

Testimonium præfatorium testium, qui huic miraculo interfuere.

1. H*Vic rei gestæ, primum Domina Rosina, Ioannis Wengerij Senatoris Cremsiensis Coniux, cum eô deuo-*

deuotioni suæ vacandæ concessisset, interfuit: quæ coram infrascripto Domino Præsidente, & assessoribus testata est, nusquam se, intrando, supradictum Vitum obseruasse: at inter flectendum, ingenti sua cum admiratione, hanc ex eo vocem audijsse; Ah IESV, credo me iam sanitati donari, cumq; ad hoc dictum adsurrexisset, ipsum iam in pedes erectum constitisse, ita tamen tremebundũ, vt capilli erigerentur: Postmodum Christophoro Weis dixisse, iret, & R. R. P. P. Capuccinis nunciaret, sanum se factum; vt autem surrexerit, minime sibi constare, cum id non animaduerterit, nec vnquam tale quid sibi, vel imaginata fuerit. hæc effata conticuit, & abijt.

2. Testis Christophorus Weis, vigil in turri Cremsiensi, diligenter examinatus adiecit, se tum quoq; adfuisse, preci-

precibus suis intentum, interea verò Vitum Kopfmülner, quem annos supra sedecim ita claudum nouerat, hisce vocibus se, quoniam suo prius hospitio erat vsus, compellasse; Pater mi, quæso me erige, cupio enim semel rectus esse, sat diu fui claudus: inde se eidem præsto adfuisse, & apprehensum erexisse, interque assurgendum, talem strepitum in eius pedibus auditum, qualem scipio, cum confringitur, edere solet: Quod dictum præfatus Vitus excipiens adiecit, pedes suos multo leniores ab illo tempore sibi videri, eundemque Christophorum sæpe prius conatum, si quo modo illos posset extendere, semper tamen conatus eius fuisse irritos.

3. *Testis Christophorus Kelner, excubitor in mœnibus Cremsiensibus, de hoc rei successu rogatus, edisseruit, se tum quoque vna cum præfatis, precibus*

ibi-

ibidem vacasse, & has inter, Vitum verba illa ad Christophorum locutum, Pater mi etc. erectum inde ingenti tremore percitum dixisse, pedes suos leuiores factos, tum Deo, & Beatissimæ eius Matri, ob tam insigne beneficium sibi exhibitum, gratias egisse, ad jciendo, in somnio se hac nocte commonitum, vt huc se conferret.

Miraculum II.

NOn multum temporis, à præfato miraculo intercesserat, aliud mox 24. Octobris 1643. Iacobo Doplero exhibitum, est insecutum.

Qui cum accurate de omnibus examinatus esset, retulit, natum se in oppido Hirtzendorff, inibiq; ciuem, & panis reuenditorem, etiamnum esse, annum agere quartum supra quadragesimum, Patrem suum nuncupatum

Geor-

Georgium Dopler, Matrem Catherinam, in statum vero tam calamitosum, ante tres & viginti annos, cum ingens tum temporis in Austria ad Anisum tumultus esset, in quadam infirmitate incidiße. Et quanquam diu opportuna saluti suæ remedia quæsijßet, nunquam tamen reperire potuißet; Quoad tandem in peregrinatione quadam, mulieres Hirtzendorffij transierunt, quæ sibi aßeruêre, alium quendam claudum Cremsij in sæpefato B. V. Sacello incolumem redditum, quod tamen haud probe se intellexiße; verùm existimaße, de alio, vulgo Otsherprinlein Celtiensi sermonem fuiße, eius tamen miro videndi æstuaße desiderio, suamq; Coniugem de eodem eße percontatum.

At modico temporis spatio circumacto, veniße ad se Iudam, vel potius, Iu-

dæum, quod notandum eſset, Mandl Hotzendorffi degentem, qui ſe inducere omnibus modis eſt conatus, vt Cremſium iret, ad ſæpe dictum B. V. Sacellum, aſserendo, Vitum non neminem, ſimiliter claudum, ibidem curatum, ex quo mirum ſe huius loci tenuiſse deſiderium, & abſq; mora cum vicino ſuo nomine Kölner collocutum, quid mercedis depoſceret, vt Cremſium ſe adduceret, quandoquidem eo pedes ire nequiret; Et illum quinq; quidem groſsos poſtulaſse, nequaquam tamen promiſsis ſtetiſse. Addidit præterea, continuo maxime noctu ob oculos ſibi quiddam obuerſatum, quod ſe ad Cremſienſe iter animaret; At vxorem ſucclamitaſse, pecuniam ipſum tamen hoc pacto conſumpturum, quæ in alios vſus eſset expendenda; cui tamen nequaquam ſe paruiſse, quin ex feruenti

zelo semper hoc opposuiſſe, ſi hanc profectionem non ſuſceperit, magis ſe adhuc claudum fore: quod ſi nummi defecerint, venditurum ſe tunicam, qua indueretur: hoc dictũ magnam vim lachrymarum vxori excuſſiſſe. Cæterum nuſpiam ſe requiem habuiſſe, quin ſemper cogitationes ſuas ad ſæpenominatum ſacellum direxiſſe. Idcirco pecunia deficiente, allocutum ſe Wolffgangum Prunthaller Piſtorem ibidem, vt quoniam præfatas ob cauſas huc proficiſci cuperet, & rei pecuniariæ inopia veſtem oppignorare neceſſum haberet, non nihil viatici ſibi impertiretur, qui reſpondit, nequaquam opus eſſe, veſtem ſuam oppignorare, verum vt Piſtorum reuenditor, pecuniam ab illis poſtularet, qui in ſimili neceſſitate nequaquam deerunt, quod & ipſum reipſa præſtitiſſe.

His

His ita peractis, cum omnino decreuisset, propositum suum, nulla mora intercedente, exequi, perductus est à Simone Reiter Senatore Hirtzendorffiensi Cremsium 23. Octobris, vb mane proxime altero ad Ecclesiam P. P. Capuccinorum se contulit, ibidemq; deuotioni suæ, horam circiter vacauit, nusquam tamen, testatus est, se animaduertisse, vbinam sæpememoratus B. V. fonticulus cum sacello existat; quare cum Ecclesia abeunti ostenderetur, non neminem ibidem adstitiss , cui, quandoqu dem gloriosa Virgine inuocata, adsurgendum fuerat animatus, se innuiss , vt sibi auxilio esset, & sese erigeret, quod eum quidem fecisse, breui tamen denuo s inclinatum. Hoc cum Generosi Domini ab Lindtag, Melchior, & Ioannes Casparus, par G rmanorum vid ssent, iterum se erexisse;

in quo statu etiamnum hodie permanet. Posthæc ad R P. Capuccinos se contulit, cum quibus de tam insigni miraculo, sibi exhibito, est collocutus, in dies vero magis magisq; eius membra integra sanitate sunt donata. Pro quo beneficio Omnipotentem Deum, & Beatissimam Cælorum Reginam, semper laudare & concelebrare se obstrinxit. Fuisse autem eundem Iacobum, duobus & viginti annis, vt dictum est, ita claudum & calamitosum, semper autem virum bonum & iustum, testati sunt Georgius Freidenberger, & Ioannes Kebelreiter, ambo Ciues Hirtzendorffienses.

Miraculum III.

IAm pæne priora duo concluseramus, cum ecce tertium præter omnium opinionem est insecutum.

Dictus

Dictus est hic, cui tam insigne beneficium Deus contulit, Ioannes Hämmelthon, quemadmodum ipsemet retulit, vnius ac quadraginta annorum, natus Londinij in Anglia, Patre Wilhelmo Hommelthon, matre Elisabetha, ambobus Catholica Religione imbutis Noster verò, de quo sermo est, Ioannes eorum filius, cum apud Caluinianos homines educatus esset, eorundem Sectam est secutus, sed peregrinata est in eo malitia, non habitauit; etenim ante annos 14. resipiscens, ad Catholicæ Ecclesiæ omnium matris gremium confugit. Quo ad vitæ institutionem egit lanistam 18. annis, & Serenissimæ Hispanicæ Domui seruitium suum impendit; nec nō sub Gambergio Generali Cornetum, vt vocant in prætorianis suis militibus duxit. In Nordtlingiensi verò conflictu, glande per fæmur sinistri

 nistri

nistri pedis traiectus, equo cum corneto decidit, & à S. R. M. tunc FERDINANDI III. *Chirurge est curatus. Nec multo post militari Sacramento à Serenissimo dicto Generali solutus, sed denuo sub Hispanis, & Infante militiæ nomen dedit, à quo Generali Geitsio, mari fortunam suam experturus, est commendatus. Contigit autem vt quadam vice in Continentem, commodi sui causa exiret, ecce vehementer à quodam Prisiliano milite, in interiori India per vtrumq; genu vulneratur, ita vt inde claudus euaserit, & nequicquam multo ære in medicos frustra profuso, binis fulcris, quæ in perpetuam rei memoriam in Sacello hoc asseruantur, octo annis vsq; ad 20. Ianuarij 1644. inniti coactus fuerit, quo tempore, Diuino auxilio, & B. V. intercessione, pristinæ incolumitati, ibidem est restitutus.*

Occa-

Occaſionem vero eo iter arripiendi, teſtatus eſt fuiſſe talem; nimirum ſumente ſe Viennæ ientaculum, mulierem quandam alias ſibi notam, eo aduentaſſe, & inter ſermocinandum adieciſſe, illi inſomnio hac nocte viſum rectiſſime conſiſtentem, & ambulantem, cui reſpondiſſe, Deo nihil difficile, aut impoſſibile eſſe, qui ſi voluerit, fieri & hæc poſſe. Hinc in ſequenti nocte, auroram verſus, viſum ſibi dormienti Chriſtum cum Matre ſua glorioſiſſima, coram ſe conſiſtentem, ab his ſe iuſſum Cremſium ad ſæpe nominatum B. V. ſacellum proficiſci, miſericordiam ibidem conſecuturum, quare vt primum ſomno diſcuſſo, genua ſua flexiſſe, & mente ad Creatorem ſuum eleuata, votum ſuſcepiſſe, prima ſe offerente occaſione, eo proficiſcendi, quod & ſ. d erum itinere, nauigando, omnibus circum

gelu rigentibus perfecit, & 19. Ianuarij Stainium appulit, noctemq; illam apud nautam quendam, dictum Georgium Pfister transegit, mane facto, contulit se ad dictum Sacellum, vbi 6, aut 7. ferme aderant, qui ei subito locum cesserunt, vt precibus suis, quadrante ferme vnius horæ, vacaret: interea temporis quiddam interne cohortatur, consideret, posse eum recte assurgere, quare ambabus manibus protensis ferreos cancellos apprehendit, & non neminem ex P. P. Capuccinis sibi aduocari postulat, qui vt adfuit, facie tenus eum sudantem reperit, & pæne non in deliquio constitutum, idcirco duo ex circumstantibus, eum ad conuentum deduxerunt, vbi subito sacra xomologesi se purgandi, & diuina misteria percipiendi, cupido eum incessit, at cũ exnimia debilitate Sacello excedere co-

re co-

re coactus fuisset, altera die, quod pridie p occupierat, iuxta pietatem suam perfecit.

Hæc vero miracula, sic & non aliter, quam narratum, successisse, & vt iisdem vbiq; fides adhibeatur, nos infra scripti, qui in totius rei gestæ examine, & processu adfuimus, attestamur, propria manu Cremsij 29. Ianuarij 1644.

Ita esse testor ego Vernerus ab Haldenfeldt, Sac. Theol. Doctor Decanus & Parochus ibidem. m. p.

Frater Ioannes Gierlich Conuentus Crembsensis Ord. Præd. Prior. m. p.

Ioannes Georgius Rosmerus Societatis Iesu Sacerdos.

Thomas Henricus Erstenperger Societatis Iesu Sacerdos.

Ego Frater Nicolaus Lick de Colonia Ord. S. Francisci Min. Conuent. pro tem-

tempore Sacellanus Crembſij idem teſtor.

Ego Frater Ioſaphat Ord. S. Franciſci Frater Capuccinorum ſacerdos Concionator in Templo Parochiali Stainæ teſtor.

Ego Frater Eraſmus Bibracenſis Ord. Frat. Minor. Capuccinorum Concionator & Lector Philoſophiæ teſtor idipſum.

Ego infranominatus atteſtor, hæc tria miracula ſe ſic declarato modo hababere. Datum Crembs die & anno vt antea. Philippus Iacobus Bach Biurbis Crembs, & Stain Conſul, m. p.

A me ſubſcripto hæc præpoſita in habito examine audita, & notata fuiſſe atteſtor mea propria manu, die predicto 29. Ianuarij. Anni inchoati 1644.

Georgius Adam Dietrich Not. Pub. Cæſ. Arehigrammateus ibidem.

APPROBATIO.

EGo Chriſtophorus Sapellius Iuris V. D. Canon. Cracouienſis, & Collegiatæ omnium Sanctorum Decanns, ac librorum per Diœceſim Cracouienſem Cenſor Primarius, relationem hanc trium miraculorum non ita pridem editorum ad imaginem Beatiſſimæ Mariæ Virginis, in ſacello Frat: Capuccinorum, Crembſij degentium, legi, & examinaui, teſtimonia ſubſcriptorum, & ſigillorum publicè impreſſorum, & à Senatu Cæſareo eiuſdem Ciuitatis approbatorum, diligenter trutinaui, atq; cúm ita ſe habere, & non aliter, quam in hoc ſcripto refertur, perſpexerim ac præterea nihil contra fidem catholicam, aut bonos mores, ſcriptum inuenerim, imprimendi & in lucem edendi facultatem conceſſi.

ERRATA.

Pag.	Linea.	Errata.	Correcta.
19	15	*non*	*nos*
20	12	*resertias*	*reseruas*
22	4	*suo*	*tuo*
33	33	*fallacißima*	*falsißima*
33	8	*debere*	*deberem*
38	15	*poßit*	*poßis*
48	2	*cogitatione*	*cognitione*
84	11	*extingueres*	*extingueret*
52	2	*subaudit*	*subdit*
58	12	*quidem ediderunt*	*pridem ediderant*
59	11	*cogitari*	*agitari*
59	16	*eximiam*	*eximia*
59	17	*simplicitatem*	*simplicitate*
62	*vlt.*	*deceptionem*	*deceptionis*
65	27	*puto*	*puta*
66	9	*visā*	*visa*
80	3	*significatiua*	*significatiuę*
80	4	*illatiua*	*illatiui*
80	6	*significatiua*	*significatiuę*
100	22	*resuscitans à mortuis.* dele.	
118	9	*edidiße*	*edißere*
156	7	*existentia*	*potentia*
146	23	*Catholicos*	*Catholicis*
143	9	*despicere*	*desipere*
164	7	*æterna*	*externa*
165	16	*habet*	*habent*
167	13	*quid n. erat cur magis Sabbatum?* dele.	
199	16	*insigniri*	*insignire*
205	17	*ad rationem*	*admirationem*
215	3	*obolendæ*	*abolendæ*
236	9	*frequenttam*	*frequentia*
273	21	*Cedr. in Annal. Cedrenus.* dele *alterum Cedr.*	
282	13	*quouis*	*quosuis*

Val. Ma

Cap.

R

Prot: La

No. 30.